DISSERTATIO THEOLOGICO-ANALYTICA DE VERO INTELLECTU TRIUM CELEBERRIMORUM...

Stefano Lorenzoni

Digitized by Google

B. 143.

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIO
THEOLOGICO-ANALYTICA

De vero intellectu trium celeberrimorum
Capitum X. XI. XII.

DIVI AUGUSTINI

De Correptione & Gratia,

SEU

De vera & falſa adjutoriorum diſtinctione.

A U C T O R E
STEPHANO LORENZONI VICENTINO
Congregationis Oratorii Patavini
Presbitero.



PATAVII, MDCCXXIX.
Typis Jo. Baptiſtæ Conzatti.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

PARENTI OPTIMO
D. PHILIPPO
NERIO

Stephanus Lorenzoni Vocatus Filius

INgrati nimium animi jure exiſtimarer, ſi ad quemvis alium, quam ad Te PARENS SANCTE confugerem, nec Tibi dicarem, quod uni Tibi me debere confiteor. Tuæ enim illæ tam crebræ tam ardentes tanta

plenæ

Digitized by Google

plenæ pietate preces, humiliſque illa, ſed tamen, vel ipſo Pelagio teſte, vera confeſſio, qua Te tibi dimiſſum deterrimum hominum, & ad quæcumque flagitia facinoraque præcipitem proclamare non erubuiſti; illæ me, inquam jamdudum docuere, noſtrum nihil eſſe, & quidquid in nobis eſt boni, ab illo eſſe, qui bonitas eſt. Fidelis ille ſermo tuus, & omni acceptione dignus: Quid non mali, aut quid unquam boni facturus ſum ego niſi tu adjuves Jeſu mi; *ille me docuit, quod alte imbiberas ſaluberrimum dogma: breviſque illa tua ſimplexque profeſſio omni tuba clarius humanæ arrogantiæ typho apoſtolicum illud inſonare viſa eſt:* Nolite errare Deus non irridetur. * *Et illud Auguſtinianum*, O homo non verborum tuorum tantum, verum etiam cogitationum tuarum teſtis eſt Deus; ſi aliquid a tanto divite veraciter ac fideliter poſcis, ab illo a quo poſcis, accipere te crede, quod poſcis. Noli eum labiis honorare, & ſuper eum corde te extollere, credens a te ipſo tibi eſſe, quod ab illo te fingis orare. *Senſus illi Tui, vere ſenſus hominis Dei ex ipſo hauſti fonte gratiæ Dei, quem adhuc in terris agens mira prorſus largitate potaveras, ipſi me docuere, totam ſpem noſtram non*

eſſe,

* De bono perſev. c. 2.

Digitized by Google

eſſe, niſi magnam valde miſericordiam Dei. *Nec ideo tamen ſolis votis agendum eſſe, ut non ſubinferatur noſtræ efficacia voluntatis; & ſtupore vel ſocordia torpentes, ſecundum vetus illud adagium ſura fœmori impoſita, in vitiis nobis permanendum eſſe exiſtimemus.* Adjutor enim noſter Deus dicitur, nec adjuvari poteſt, niſi qui aliquid ſponte conatur. Sed ut in eis humiliemur, & nos vigilanter conemur, & ipſum deprecemur ardenter, ſimul intelligentes & quod ſic conamur, & quod ſic deprecamur, dono illius nos habere; *& hoc ipſum eſſe Sapientiæ ſcire, cujus ſit hoc donum*, ut in omnibus non ad nos reſpicientes, ſed ſurſum cor habentes, Domino Deo noſtro gratias agamus, & cum gloriamur, in illo gloriemur. *Ecce quod credidiſti credo, quod tenuiſti teneo, quod docuiſti doceo, quod prædicaſti prædico. Vide itaque Pater aſpice & approba; & placeat in conſpectu Tuo invenire me gratiam ante Te, ut reddam Tibi, ſiquid in Glorioſiſſimi Divinæ gratiæ Vindicis Auguſtini meditatione, Te præeunte profeci. Verum quia & cogitationes mortalium timidæ, & incertæ ſunt providentiæ noſtræ; ſi inveni gratiam coram Te, ſtatue ſu-*

per

* Lib. 2. de pecc. mer. & rem. c. 5. & c. 19.

Digitized by Google

per Petram pedes meos, & in verbis Tuis viſibili in terris Veritatis Oraculo me manifeſte confirma. Scio quidem humilitatem abjectionemque meam, ſed repulſam non metuo ab eo, qui humilibus abjectiſque conſentit. Neque enim Te latet, quod licet omnibus præſideat Speculæ Paſtoralis celſiore faſtigio, ille tamen omnibus in ipſa ſummi culminis Majeſtate de ſe ſentit humilius, tanto ſane verius certiuſque ex humilitate Maximus, quanto verius certiuſque in Majeſtate humillimus. Attamen qui me præ ſua humilitate dedignari neſcit, ad illum ego accedere præ mea vilitate præpedior. Te ergo Duce Te Patrono Te Interceſsore Te Comite ad principalem Cathedram, & Beatiſſimi hujus Viri pedes infima animi demiſſione provolvor. Tu interim, dum adhæſit pavimento anima mea, obſecro pro me loquere, & dic ei:

Etſi Pueri Tui exiguitati, Papa BENEDICTE, illud Deo donante ſemper altius inſederit, quod uni ex Prædeceſſoribus Tuis olim ſcripſerat fiſtula illa Spiritus Claravallenſis Abbas Bernardus: **nimirum* oportere ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque & ſcandala emergentia in Regno Dei. Dignum, *nam-*

* Contra Abail.

namque ait, arbitror, ibi potiſſimum reſarciri damna Fidei, ubi non poſſit fides ſentire defectum. Hæc quippe hujus prærogativa Sedis. *Potiori tamen prope dixerim jure Apoſtolatui Tuo, & huic Supremæ Sedi libellum huncce debere ſe putat; in quo præcipue imo unice agitur de B. Auguſtini Spiritu doctrina & Fide, quibus utique vegetamini. Huic Pueri Tui propoſito calcar admovit præclariſſimum illud pulcherrimumque teſtimonium Tui erga Sanctiſſimum Virum Cultus & ſtudii*, quòd *auſpiciis ac juſſu Tuo, remotis quibuſcumque cavillationibus, ſublatoque omni dubitationis loco, ſacræ divini illius animi exuviæ, Chriſtianæ demum Pietati nuper innotuere. Quamobrem profecto ſpes ei perampla reſulget, identitatem etiam ſapientiſſimæ beatiſſimæque mentis, ſublatis omnibus ſophiſmatibus, & refractariorum tergiverſationibus, brevi liquido conſtituram, per Te præſertim, cujus non ſine lacrymis ubertim præ lætitia* (*teſtor ego*) *manantibus legere ei contigit Tuas illas aureas ac cedro digniſſimas voces*: * Multo alacrius has Apoſtolicæ ſollicitudinis partes ſuſcepturum Te, ubi eas ad B. Auguſtinum, clariſſimum Eccleſiæ lumen eximiumque

* Brevi ad Ep. Ticin.

Digitized by Google

Doctorem ſpectare intellexeris: Quem nimirum in profitenda Prædicatorum regula Parentem, in Theologico curriculo Ducem, in Paſtorali miniſterio, cunctiſque vitæ rationibus Patronum ſemper coluiſti. *Si quid igitur in hoc graviſſimum toti Chriſtianæ Reipublicæ negotium, pueri Tui tenuitas conferre potuit, adjuvantibus orationibus Tuis, ultro & æſtuanti corde, me Deprecatore ſubjicit Apoſtolatui Tuo; ut quidquid inibi eſt Veritati conſonum, per Te nempe Summum Catholicæ Eccleſiæ Pontificem, ei cujus vices in terris geris, offeratur, qui dedit pauperi ſuo & inopi, quod offerret & Tibi. Pedibus itaque Sanctitatis Tuæ, etſi non corpore, animo tamen humillime provolutum ſuſcipe ſervum Tuum in bonum, & ne calumnientur eum ſuperbi, benedictionis Tuæ protectionem propitius ei impertiri dignare.*

Et hæc quidem pro me. Ceterum Tu Sancte PARENS pro auctoritate, qua polles fiducialius agens cum eo, BENEDICTE Deo excelſo confortare, dic ei, & eſto robuſtus, & zelo Domini commovente ſta ut Phinees, qui placavit, & ceſſavit quaſſatio.

Digitized by Google

LECTORI

QUod privatæ ac propriæ inſtructioni paraveramus, publici juris facere cogimur, ipſa ad id adigente charitate, qua eo liberiores efficimur, quo vehementius urgemur. Cum enim conſuluiſſemus de hac lucubratione vernacula primum lingua lucubrata, amiciſſimos quoſque Doctiſſimos etiam & magni nominis viros, quibus libentiſſime nos & noſtra ſubjicimus, eorumque ſententiam ac judicium quàm fieri poſſit rigidiſſimum expetiiſſemus; non modo non ineptam cenſuerunt, verum etiam non mediocriter utilem arbitrati ſunt. His igitur ſuadentibus, immo & perſuadentibus, e vernaculo in latinum idioma tranſtulimus, nec vernaculo nec latino cultu, cujus utriuſque ſumus prorſus expertes. Nemo igitur perpolitum verborum corticem, & elegantiores ſelectarum phraſium floſculos expectet a nobis, qui id unum intendimus, ut Auguſtiniani, non ut Ciceroniani ſimus. Erit qui præſtet multo venuſtiora: nos veriora non venuſtiora ſectamur. Fortaſſe nec vera aſſecutos nos fuiſſe inſimulabimur. Quod ſi contigerit, id unum

Digitized by Google

repetere juvat, quod B. Auguſtinus ait in fine libri de Dono Perſeverantiæ. *Qui vero*, inquit, *errare me exiſtimant, etiam atque etiam diligenter, quæ ſunt dicta, conſiderent, ne fortaſſis ipſi errent. Ego autem cum per eos, qui meos labores legunt, non ſolum doctior, verumetiam emendatior fio, propitium mihi Deum agnoſco, & hoc per Eccleſiæ Doctores maxime expecto, ſi & in ipſorum manus venit, dignenturque noſſe quod ſcribo*. Porro ſiqui ſunt, qui vera quidem nos dixiſſe conſentiant, ſed B. Auguſtino conſentanea diffiteantur eſſe, quæ diximus, inviti licet dolentes provocati compulſi eo præcinente clamabimus: *O vita pauperum Deus meus, in cujus ſinu non eſt contradictio; plue mihi mitigationes in cor, ut patienter tales feram: quia non mihi hoc dicunt, quia divini ſunt, & in corde famuli tui viderunt quod dicunt, ſed quia ſuperbi ſunt, nec noverunt* Auguſtini *ſententiam, ſed amant ſuam, non quia vera eſt, ſed quia ſua eſt*. Sed erunt qui vera quidem, & D. Auguſtino conſentanea fateantur eſſe quæ diximus, ſed non eo modo quo hujuſmodi res pertractandæ ſunt, nos peregiſſe querantur: quippe qui malint omnia ſtricte ſummatim & ſcholaſtico more coarctari, perinde ac ſi argumentorum vis ac nervi diſſolvantur, ac fuſa oratione propemodum langueant. Sciant igitur iſti nos aridum illum

ex-

exſuccumque loquendi morem ideo potiſſimum evitaſſe; quandoquidem etſi ipſa per ſe nuda Veritas placere magis debeat, attamen ſunt plurimi, quibus inſinuari vix poteſt, & perſæpe etiam fit, ut quorum mentes veritate lucente clareſcunt, corda tamen rigida & immota frigeſcant: & quamvis ea differendi methodo exercitatiora utique reddantur ingenia, plerumque etiam inflatiora & maligniora reddantur. Itaque non res aptavimus verbis, ſed quæ ultro ſeſe obtulerunt verba aptavimus rebus; id unum ſatagentes, ut ſaluberrimam ſanctiſſimamque doctrinam cordi potius intimaremus quam menti; ac oſtenderemus non ex ea Chriſtianis animis quidquam turbationis afferri, ſed potius mirum in modum fidem ſpem charitatemque foveri, dum non in nobis ipſis ſuperbiſſime & infeliciſſime ſpem ponimus, ſed ponenda humillime & veraciſſime demonſtratur in Domino. Non quò ſedulitas, aut ſollicitudo tollatur (*ſicut blaſphemamur, & ſicut ajunt quidam nos dicere*) ſed ut ſedulitas ipſa accepta referatur ad Dominum, in quem etiam projicientes omnem noſtram ſollicitudinem, non nos illi ex parte, & nobis ex parte comittamus; ſed totum Deo demus; non quo deſidiores, ſed quo tutiores vivamus. Poſtremo quod delicatioris profecto querelæ eſt, illis ſatisfacere de-

Digitized by Google

bemus, qui perplexiorem obſcuriorem, ac per hoc difficiliorem diſceptationem hanc, quàm certe cuperent, eſſe cavillabuntur. Quibus ut plene reſpondeam, ſat puto, ſi dixerim, me dilucidius planius apertius exponere neſciviſſe, quod ſenſeram: nec de quantulacumque controverſia ſermonem fieri, ſed de altiſſimo inſcrutabilique myſterio; quod tunc demum apprime percipitur, ſi percipi nequaquam poſſe percipitur. Quærat qui vult Paulo ſapientiorem, doctiorem Auguſtino, ſed caveat ne inveniat præſumtorem. Nos quod illi ignorare profitentur, non ſolum dignamur, verumetiam gloriamur ignorare cum illis; nec parum nos profeciſſe exiſtimamus, ſi quod ignorandum eſt, nos ignorare intelligimus. Unde igitur cœpimus, inde etiam concludimus; non quo noſtra, quod abſit, ſed quo B. Auguſtini mens ac ſententia innoteſcat ejuſdem omnino verbis, quod non de nobis, nec de noſtris audemus, hortantes: **Repetite aſſidue librum iſtum, & ſi intelligitis, Deo gratias agite; ubi autem non intelligitis, orate ut intelligatis, dabit enim vobis Dominus intellectum. Mementote ſcriptum eſſe, ſiquis indiget ſapientia, poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Ipſa eſt ſapientia deſurſum deſcendens, ſicut ipſe Apoſtolus Jacobus dicit.*

Illam

* *De Grat. & lib. arb. in fine.*

Illam vero ſapientiam repellite a vobis, & orate ut non ſit in vobis quam deteſtatus eſt, ubi ait: Quod ſi zelum amarum habetis, & contentiones in vobis ſint, non eſt iſta ſapientia deſurſum deſcendens, ſed terrena animalis diabolica. Ubi enim zelus & contentio eſt, ibi inconſtantia & omne opus pravum. Quæ autem deſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica modeſta ſuadibilis plena miſericordia & fructibus bonis inæſtimabilis ſine ſimulatione. Quid boni ergo non habebit, qui hanc ſapientiam poſtularit, & impetrarit a Domino? Et hinc intelligite gratiam, quia ſi ex vobis eſſet iſta ſapientia, deſurſum non eſſet, nec ab ipſo qui nos creavit, Deo poſtulanda eſſet. Fratres orate & pro nobis, ut temperanter & pie & juſte vivamus in hoc ſæculo expectantes illam beatam ſpem & manifeſtationem Domini & Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti, cui eſt honor gloria & Regnum cum Patre & Spiritu Sancto in ſæcula ſæculorum. Amen.

NOI

Digitized by Google

NOI RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di reviſione, ed approvazione del P. F. Tomaſo Maria Gennari Inquiſitore, nel Libro intitolato: *Diſſertatio de vero Intellectu trium Celeberrimorum Capitum X. XI. XII. Divi Auguſtini de Correptione & Gratia, ſeu de vera & falſa adjutoriorum diſtinctione*; non vi eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo licenza a Gio: Battiſta Conzatti Stampatore in Padova, che poſſa eſſer Stampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 10. Marzo 1728.

(Gio: Franceſco Moroſini K. Rif.
(Andrea Soranzo Proc. Rif.
(Pietro Grimani K. Proc. Rif.

Agoſtino Gadaldini Segret.

IN-

Digitized by Google

INDEX
NUMERORUM.

I. PRoœmium. Pag. 1
II. Controverſiæ ſtatus. 2
III. Unde verſatilis gratia fulciatur. 4
IV. Nempe ex D. Auguſtino perperam intellecto. 5
V. Hanc hallucinationem indicat P. Serry. 7
VI. Unde controverſia inde ſolutio. 8
VII. Expenditur primum e contenſioſis capp. ordine X. 9
VIII. Proponitur quæſtio. 10
IX. Difficultatis expoſitionem nullatenus gratiæ verſatili poſſe cohærere. 11
X. Fidei Confeſſione non ſolvitur objectio, ſed ſtatuitur in objectione myſterium. 14
XI. Cuilibet naturæ ſtatui commune. 16
XII. Quod liquet ex Angelis quos includit. 17
XIII. Ex ipſo etiam verborum contextu. 19
XIV. Qui omnem diſtinctionem excludit. 21
XV. Ob oculos ponuntur diverſæ interpretationis abſurda. 23
XVI. Continuatio ejuſdem argumenti. 26
XVII. Quæ ſequuntur ad regulam exigenda eſſe, non regulam ad ea, quæ ſequuntur. 27
XVIII. Neutrum tamen præſtari poſſe a verſatilis

Gra.

Digitized by Google

Gratiæ aſſertoribus. 29
XIX. *Quam ſapienter in utriſque liberum memoretur arbitrium.* 31
XX. *Servata ſtatuum diverſitate regula aptatur & homini.* 34
XXI. *Quæ ſequuntur nullatenus congruere præmiſſis ſecundum verſatilis Gratiæ patronos.* 36
XXII. *Continuatio ejuſdem argumenti.* 38
XXIII. *Contra mire congruere.* 39
XXIV. *Servata diverſitate ſtatus non diſtingui adjutoria.* 41
XXV. *Gratiam potentiæ ne gratiam quidem appellari ab Auguſtino comparatione beneficii gratiæ.* 43
XXVI. *Adjutoria in quolibet ſtatu non eſſe abſolute, ſed relative diverſa.* 45
XXVII. *Ut colligitur ex præmiſſis.* 47
XXVIII. *Necnon ex iis quæ ſequuntur.* 49
XXIX. *Tum etiam a communi omnium ſenſu.* 51
XXX. *Ex his quæ hactenus digeſta ſunt, fieri quæ conſequuntur mire perſpicua.* 55
XXXI. *A neceſſitate gratiæ potentiæ elici neceſſitatem gratiæ voluntatis.* 56
XXXII. *Cur dicatur in ſtatu innocentiæ plenitudo beatitudinis* meritum & debita merces. 58
XXXIII. *Nempe ad indicandam veram ſtatuum non adjutoriorum diverſitatem.* 61
XXXIV. *Continuatio ejuſdem argumenti.* 63
XXXV. *Unde ſupra.* 65

Gra-

Digitized by Google

XXXVI. *Gratiam voluntatis nec minuere gratiam potentiæ, nec excludere.* 67
XXXVII. *Beatitudinem eſſe adjutorium ſimul & præmium.* 70
XXXVIII. *Adjutoria in ſtatu naturæ vitiatæ qua ſint ratione diverſa.* 72
XXXIX. *Attenta nimirum ſtatuum diverſitate.* 75
XL. *Ac multiplici præ Angelis hominum exigentia.* 76
XLI. *Unde potiſſimum ſeu relativa gratiæ ſeu abſoluta ſtatuum diverſitas patet.* 78
XLII. *Natura lapſa libero arbitrio dimiſſa pronior in lapſum.* 81
XLIII. *Beneficium gratiæ in ſtatu innocentiæ ex eodem beneficio in ſtatu corruptionis evinci.* 82
XLIV. *Excutitur locus e cap. 7. lib. de Don. perſev. depromtus.* 85
XLV. *Hunc locum doctrinæ hactenus explicatæ mirum in modum cohærere.* 87
XLVI. *Recapitulatio.* 90
XLVII. *Synopſis trium capitum.* 91
XLVIII. *Quo pacto aſſeratur gratia ſufficiens juxta mentem D. Auguſtini.* 94
XLIX. *Contrahitur cap. XIII doctrina & paragraphus expendendus excerpitur.* 96
L. *Et ex eo 4. animadverſiones eliciuntur.* 97
LI. *D. Auguſtinum eadem adſtruere de juſtis temporalibus, quæ de Adam adſtruxerat.* 99

Ver-

Digitized by Google

LII. *Verſatilem gratiam aut in utroque ſtatu aſſerendam, aut in utroque negandam.* 101
LIII. *Parvulos, & eos qui rationis uſu deſtituuntur ſufficienti gratia deſtitui.* 104
LIV. *Recte tamen ipſam ſufficientem gratiam diſtingui in remotam & in proximam.* 107
LV. *Quidquid ſit de obduratis & infidelibus, dereliquis compertiſſimam eſſe S. Doctoris mentem.* 109
LVI. *Univerſas vias Domini ſive in Angelis ſive in hominibus eſſe miſericordiam & veritatem.* 111
LVII. *Ex adjutoriorum novitia diſtinctione tot in Eccleſiam irrupiſſe diſſidia.* 114
LVIII. *Nullam tamen notam hujuſce ſententiæ vindicibus inuri.* 116
LIX. *Fulguritas theſes inde profluere.* 117
LX. *Concluſio.* 118
Capita X. XI. XII. D. Auguſtini de Correptione & Gratia. 121
Adnotationes. 140

DIS-

DISSERTATIO THEOLOGICA

De vero intellectu trium celeberrimorum Capitum X. XI. XII. D. Auguſtini de Correptione & Gratia,

SEU

De vera & falſa adjutoriorum diſtinctione.

I.

ERit cui mirum fortaſſe videatur controverſiam tamdiu agitatam, quæque adhuc ſub judice diſcuti nondum ceſſat, in qua Viri Theologi diverſas in partes jampridem abjere tanto rationum ac momentorum hinc inde pondere fulti, ut longe difficilius putari poſſit in eamdem eos aliquando convenire ſententiam, quam Stoicus ille inter horologia conventum iri impoſſibile exiſtimaret, a me vix, ac ne vix quidem Theologo dirimendam præſumi. Neque

Digitized by Google

tamen arbitror adeo moroſi inſolentiſque animi quemquam eſſe, qui permiſſum nolit Veritatis Charitatis Unitatis Pacis amori, quod laude inſuper dignum facile reputaretur in qualibet alia levioris negotii diſceptatione, ubi maximam ſibi vel omnem rei partem inepta vanitatis curioſitatis contentionis diſſenſionis inquiſitio vindicaret. Spero itaque neminem mihi vitio vertere velle, ſi ſtimulo undequaque honeſtiſſimo impellente declarandam ſuſcipio materiam ſatis ſe ipſa involutam præeunte, ut puto, Sanctiſſimo Doctore Auguſtino, quem ſequi indivulſe profiteor, ſuppliciter obſecrans etſi non merito vel tantillo B. Patris affectu illius Numinis tutelam ac lucem, in cujus manu ſumus nos & ſermones noſtri.

Controverſiæ ſtatus.

I I.

AGitur de mente D. Auguſtini circa Adæ adjutorium, & in quo fuerit diverſum ab adjutorio hominis lapſi. Nimirum utrum Angeli & Adam in ſtatu innocentiæ habuerint ſolum ac idem viæ adjutorium, quo qui bene uſi ſunt perſeverarunt, qui vero ſecus, corruerunt cum ipſo Adam. Ita demum ut quemadmodum voluntas horum fuit vera & ſola cauſſa peccati, iti-

Digitized by Google

itidem & voluntas ſanctorum Angelorum bono gratiæ uſu fuerit vera & ſola cauſſa eorum in bono perſeverantiæ & immutabilis permanſionis. Neque ut plerique & optimi Theologorum requirunt, tametſi pluribus aliis ex capitibus gratiam ſeipſa efficacem ad omnes & ſingulos hominis lapſi ſalutares actus, ita etiam requireretur & in Angelis, & in homine primo, qua operante vel ſtarent qui ceciderunt, vel ſteterint qui perſeverarunt. Proinde ſecundum alios ea modo eſt differentia inter integram corruptamque naturam, ut in integra verſatilis gratia a libero dependens arbitrio ſat eſſet ad revera perſeverandum, ubi in corrupta requiritur efficax, quæ liberum ſibi ſubjiciat arbitrium, eique efficienter perſeverantiam largiatur. Contra vero ſecundum ceteros ſive in integra ſive in vitiata natura nulla eſt ratione efficaciæ gratiæ diverſitas, ſed in Angelis æque ac in homine lapſo & operata fuit & operatur arbitrii ſtabilitatem atque perſeverantiam, licet in corrupta hæc operatio & efficacitas aliis iterum titulis exigatur, alioſque inſuper producat effectus.

Digitized by Google

Unde verſatilis gratia fulciatur.

III.

QUi gratiam tuentur in ſtatu innocentiæ verſatilem, non ſecus ac ii, qui propugnant efficaci ſua viciſſim fulciunt aſſerta innumerabilibus D. Auguſtini locis. Præſertim illi qui verſatilem affirmant conatu prope incredibili eam roborare nituntur variis auctoritatibus & documentis e tribus celeberrimis his de Corrept. & Gratia erutis, imo integris ipſis capitibus; quamvis alia inde quoque perraro tamen eruere ſtudeant illi, qui oppugnant; adeo ut neceſſe ſit dicere Sanctiſſimum incomparabilem Virum, qui ſine controverſia in hujuſcemodi cauſſis fuit, eſt, eritque perpetuo tuba & organum S. Spiritus, Magiſter ac Doctor Eccleſiæ ex eodem pectoris ſui ſacrario, eodemque maxime libro *eſt* & *non* protuliſſe, calidum frigidumque, veritatem ſimul & mendacium, aut dubio procul ambiguitatum, Ænigmatum, obſcuritatum perplexiſſimam innodaſſe texturam. Verum abſit, ut Divinus hic Vir, qui in ceteris ſuis opuſculis eſt mire perſpicuus ordinatus præciſus, inveniatur in hoc præclariſſimo opere inordinatus perplexus obſcurus, in hoc, inquam opere, ubi eum oportuit qua fieri poteſt facilitate per-

Digitized by Google

perſpicuitate præciſione diſſerere. Fatendum eſt igitur, ſiquid inibi obſcuritatis ineſt non inde oriri, quia aut verborum aut ſenſuum involucris mentem ſuam contegat, ac litem lite reſolvat, ſed quia ipſa rei natura aciem mentis perſtringit, quandoquidem etſi ſeipſa via nitidiſſima ſit, ac niveo candore præfulgida, attamen in altum, & inſcrutabile myſterium deſinit, ac facile iccirco contingere poteſt, ut ipſa lucis via, qua eo tenditur ſua ipſius claritate oculos mentis obfuſcet, & quadam luminis nimietate perturbet.

Nempe ex D. Auguſtino perperam intellecto.

I V.

PRoinde id unum mihi præcipue cordi eſt, ut oſtendam non inde oriri difficultatem, quod vel ambigua vel obſcura ſit S. Patris ſententia in ea, de qua agimus controverſia; ſed quia non ii minus qui aſſerunt, quam qui negant prætenſam adjutoriorum diſtinctionem plerumque hallucinantur, ac ea negligunt principia, unde potiſſimum hauriri debet Auguſtinianæ mentis veriſſima intentio. Quinimo mirum ſit dicere, ac multo magis mirum ſi fieri videas, nempe propugnatores ſententiarum adeo oppoſitarum ſeſe invicem implicantes, ac incautius innectentes ab ipſo, ut ita dixerim, quæſtionis cardine

&o-

Digitized by Google

& oſtio, ut controverſiæ nodum figant ibi, ubi abſque dubio tota conſtituitur controverſiæ ſolutio: aliique objiciant, alii ſolvant, quod neque ſolutioni neque objectioni obnoxium eſt, aut eſse ullo modo poteſt, cum inconcuſsum ſit dogma a Summo Viro ſolidiſſime firmatum, quodque tantum abeſt, ut ab aliqua partium in contentionem trahi poſſit, ut potius omnis exigat ratio juxta S. Doctoris mentem ipſamque verborum formulam omnes in illud ſumma conſenſione coire. Neque tamen dixerim illos, qui prætenſam adjutoriorum diſtinctionem convellere nituntur minime habere ſolida vera invictaque rationum momenta, quibus labefactetur. Sed quia cum nihil validum, aut ſiquid validum nimis meticuloſe ex hoc tractatu hauriant, plerumque autem ſolidiora aliunde contrahant, hinc fit, ut quodammodo ſint elanguida & obtuſiora, facillimumque ſit propugnatoribus, aut ea favorabili interpretatione eludere, aut veluti incidentia declinare, ajentibus ea utpote extra quæſtionem ſita non ejus eſſe roboris, ut veluti concludentia conſiderentur in conflictu eorum teſtimoniorum, quæ inde hauriuntur, ubi res ex profeſſo pertractatur, ac in oppoſitum, ut loquuntur, liquido demonſtratur.

Hanc

Digitized by Google

Hanc hallucinationem indicat P. Serry.

V.

UNum profecto videre licuit hujus Ævi clariſſimum doctiſſimumque Theologum, qui paucis abhinc annis egregio in lucem edito libro contra hanc jactitatam adjutoriorum diſtinctionem, cui titulus *D. Thomas D. Auguſtino conciliatus*, reſpondens objectioni ex iſtiuſmodi loco deſumtæ hunc abuſum detegit, ac valide in objectores illud ipſum, quo nituntur, retorquet effatum. Verum ſive quia argumentorum copia, ac aliorum graviſſimorum textuum ſoliditas, ſive quid aliud ei minime permiſerit retorſionem vehementius urgere, prout mihi fieri potuiſſe videtur, ſi vim illius loci paullo maturius attendiſſet, in ipſo impetu deferveſcit, & ſegnius ictum vibrat, ac vellet. Quin ipſemet obſtupui, cum vim retorſionis hujus acrius urgerem, reponente mihi adverſariarum partium acerrimo quodam vindice, non ob aliud auctorem libelli mitius inſtitiſſe, niſi quia ipſe primum retorſioni ſuæ maxime diffidebat. Nihilotamen ſecius ſincere profiteor celeberrimum hunc virum aditum mihi primitus reſeraſſe, meque nonniſi quod facillimum ſemper fuit ejus inventis addere, lumenque apertiſſimæ veritatis, quod ipſe mihi primus retexit diſſi-

Digitized by Google

diſſipatis, quæ ſubinde oriuntur, nubeculis ob oculos ponere, proſequi demum ac perficere id ipſum, cujus ille dimidium, qui tam bene cæpit, habet.

Unde controverſia inde ſolutio.

VI.

AJo itaque, quod cum perſæpe fiat, ut infiniti labirintuum anfractus atque circumitus, involutæque tot ambagibus ſemitæ filo ducente contrahantur, & quantocius abſolvantur evitatis mille errorum illecebris, idipſum dicendum ſit de vero trium horum capitum intellectu ac ſenſu, modo inveniatur aliquod ita certum evidens tutumque principium, ut partium neutra quantalibet invicem animoſitate diſſentiant, jure poſſit ambigere, quin ſit veluti filum; quo dirigi quiſque debeat per totam ſermonis ſeriem, quæ his capitibus continetur. Adeſſe autem hoc quodammodo filum manifeſte liquet, cum utriſque indubitanter pateat S. Doctorem ab ipſo ſtatim initio tale principium normam & regulam figere, cui & ad quam referri debeant & componi, quæcumque in reliquum diſſeruntur. Ut igitur utraque partium ſibi ſuadeat certoque noverit adeſſe hanc regulam, normam, ſeu principium, cui & ad quod componi & reſolvi debeant

quæ-

quæcumque ſequuntur, manifeſtum eſt nil exigi poſſe rigidius, quam circumſpecta brevis dilucida Fidei confeſſio, quæ hujuſmodi ab utriſque noſcatur, ac talem eſſe utrique fateantur.

Expenditur primum e contenſioſis capp. ordine X.

VII.

HOc conſtituto videamus, utrum idipſum agat S. Auguſtinus diſcuſſis, qua par eſt diligentia, nobiliſſimis hiſce tribus capitibus, in quibus proculdubio tota controverſia concluditur. Inquit igitur: *Quæritur a nobis quantum attinet ad hoc donum Dei, quod eſt in bono perſeverare uſque in finem, quid de ipſo primo homine ſentiamus, qui certe ſine ullo vitio factus eſt rectus. Nec dico ſi perſeverantiam non habuit, quomodo ſine vitio fuit, cui tamen neceſſarium Dei donum fuit? huic namque interrogationi facile reſpondetur, eum perſeverantiam non habuiſſe, quia in eo bono, quo ſine vitio fuit, non perſeveraverit: cæpit enim habere vitium ex quo cecidit, & ſi cæpit antequam cæpiſſet, utique ſine vitio fuit. Aliud eſt enim non habere vitium, & aliud eſt in ea bonitate, in qua nullum vitium eſt, non manere. Eo quippe ipſo, quod non dicitur numquam ſine vitio fuiſſe, ſed dicitur ſine vitio non permanſiſſe, proculdubio demonſtratur ſine vitio fuiſſe, in quo bono non perman-*

ſiſſe culpatur. Oſtendit hic igitur primitus nil primæ perfectioni detrahi, eo quod perfectum aliquid poſſit eſſe ſubinde perfectius; nec Adam aut vitiatum aut miſerum fuiſſe, quia adhuc erat quod ejus perfectioni ejuſque felicitati adderetur, ſi per liberum arbitrium in bono, in quo conditus fuerat, permanere voluiſſet. Licet igitur non habuerit perſeverantiæ donum jure ſine vitio fuiſſe dicendus eſt, inde enim cæpit ejus vitium, ex quo perſeverantiam amiſit, bonumque deſeruit, ac de facili quiſque videt hominem non potuiſſe peccatorem evadere, niſi innocens antea fuiſset, & ex hoc quod vitiatus & peccator evincitur, juſtus atque perfectus, antequam peccaret, oſtenditur.

Proponitur quæſtio.

VIII.

CArdo itaque difficultatis in eo vertitur, quod ſubdit: *Sed illud*, inquiens, *magis quærendum operoſiuſque tractandum eſt, quomodo reſpondeamus eis, qui dicunt: ſi in illa rectitudine, in qua ſine vitio factus eſt, habuit perſeverantiam, procul dubio perſeveravit in ea. Et ſi perſeveravit, utique non peccavit, nec illam ſuam rectitudinem, Deumque deſeruit. Eum autem peccaſſe & deſertorem boni fuiſſe Veritas clamat. Non ergo habuit*

in

in illo bono perſeverantiam, & ſi non habuit, non utique accepit. Quomodo enim & accepiſſet perſeverantiam, & non perſeveraſſet? Porro ſi propterea non habuit, quia non accepit, quid ipſe non perſeverando peccavit, qui perſeverantiam non accepit. Neque enim dici poteſt, ideo non accepiſſe, quia non eſt diſcretus a maſſa perditionis gratiæ largitate. Nondum quippe erat illa in genere humano perditionis maſſa, antequam peccaſſet, ex quo tracta eſt origo vitiata. Nec uberius nec dilucidius nec fortius poterat difficillima quæſtio proponi, quam preſſius poſſumus in hæc verba contrahere, nemo perſeverat, niſi qui perſeverantiam accepit: Adam non perſeveravit, ergo non accepit. Quomodo autem non perſeveraſſe culpatur, qui non accepit: aut qui fieri poteſt, ut non acceperit de quo dici nequit ideo non accepiſſe, quia non fuerit a perditionis maſſa, quæ nulla tunc erat, gratiæ largitate diſcretus? En difficultatem in tota ſua vi dilucide expoſitam.

Difficultatis expoſitionem nullatenus gratiæ verſatili poſſe cohærere.

I X.

HIc autem animadvertendum velim Auguſtinum aeream non ſibi objeciſſe quæſtionem, ſed eam cujus operæ prætium ducat diligentiſſi-

mam operoſiſſimamque inquiſitionem. Porro ſi hæc difficultatis perarduæ objectio nec falſa certe nec fallax eſt, verum graviſſima & ſinceriſſima, duo in ea ſubjiciuntur, quæ verſatili gratiæ, adeoque adjutoriorum diſtinctioni omnino congruere nequeunt: nempe hominem non perſeverando peccaſſe, neque tamen perſeverantiam, accepiſſe, ſine qua nemo eſt, qui perſeveret, niſi cui Deus perſeverantiam donaverit. *Si propterea non habuit, quia non accepit, quid ipſe non perſeverando peccavit, qui perſeverantiam non accepit?* Ne ulla quidem ſupereſt difficultas, quolibet alio modo exponatur, ut videre eſt in prima objectionis parte, ac in ipſo ſtatim initio, ubi ait: *Nec dico ſi perſeverantiam non habuit....... huic namque interrogationi facile reſpondetur...* Profecto enim ſi facile reſpondetur, Adam ſine vitio fuiſſe, cui tamen neceſſarium hoc Dei donum fuit, *quia ideo non habuit, quia in eo bono, quo ſine vitio fuit non perſeveravit.* Multo facilius reſponderi poſſet, nec neceſſarium quidem fuiſſe hoc Dei donum, quod non Deus illi, ſed ipſe ſibi præſtare debuiſſet. Ne ulla igitur difficultas profecto ſupereſt, niſi hæc duo ſtatuantur. Fruſtra enim quæritur, cur homo non perſeverando peccaverit, niſi hoc donum Dei, quod non accepit, quodque non ipſe ſibi, ſed Deus illi præſtare debebat, neceſſario ad perſeverandum requiratur. Non enim ob

aliud

Digitized by Google

aliud humanæ mentis caligat obtutus, niſi quia comprehendere non prævalet, quonam pacto potuerit homo non perſeverando peccaſſe, qui perſeverantiam, qua perſeveraret, non accepit. Quamobrem dicere non vereor, aut Auguſtinum inepte nodum in ſcirpo quæſiſſe, ſi revera nodus non eſt: & nodus non eſt, ſi prætenſam adjutoriorum diſtinctionem ſtatuere intendebat. Aut ſi dicere velimus, jure illum potuiſſe ſuſpicari Monachos Adrumetinos hanc objectionem haud ægre effícturos, ſi loqui conſequenter, ut oportuiſſet, & dilucide vellet, primus ſolutionis gradus, quem facere debebat, in eo figi decuiſſet, ut objectionem abſonam protinus reformaret; & ſi ad gratiam in ſtatu innocentiæ verſatilem confugere cogitaſset, repetere quod paullo ante dixerat: *huic interrogationi facile reſpondetur*. Atqui neutrum facit, ergo graviſſimam ſtatuit difficultatem, & in difficultate ubivis alibi, quam in eo, quod continet, veram adjutoriorum diſtinctionem.

Fi-

Fidei Confeſſione non ſolvitur objectio, ſed ſtatuitur in objectione myſterium.

X.

HOc argumentum mihi videtur probe concludens, at id multo manifeſtius apparebit ex ipſa fidei Confeſſione, quam interrogationi continuo ſubnectit, quamque aſſerere non vereor contra ac ſentiant illi, qui prætenſam adjutoriorum diſtinctionem hoc commendant Elogio, veram D. Auguſtini doctrinæ clavem, non ad ea modo reſeranda, quæ hoc præcellenti contrahuntur opuſculo, ſed univerſim ad omnia hujus B. Viri, ceterorumque S. S. Patrum opera elucidanda, conciliandaſque apparentes Scripturarum antilogias de hoc altiſſimo & inſcrutabili Sacramento. Quippe qui cum clariſſimo Sanctiſſimoque Auguſtini Diſcipulo, quo ipſe libellum hunc præconio extulit, libelli ſummam in Fidei confeſſione coarctatam efferre non ambigam*. *Putavimus*, inquiebat ille, *omnes querelas reſiſtentium ſopiendas: quia univerſis quæſtionibus, de quibus conſulenda erat Sanctitas tua tam plene illic abſoluteque reſponſum eſt, quaſi hoc ſpecialiter ſtudueris, ut quæ erant apud nos turbata componeres. Recenſito autem hoc Beatitudinis tuæ libro ſicut qui ſanctam atque apo-*

* *D. Proſper. Epiſt. de reliq. Pelag. hæreſeos.*

Digitized by Google

apoſtolicam doctrinæ tuæ auctoritatem antea ſequebantur intelligentiores multo inſtructioreſque ſunt facti: ita qui perſuaſionis ſuæ impediebantur obſcuro averſiores quam fuerant, receſſerunt. Non perinde quidem ac (ut aliquis audacius commentus eſt) præcedentia S. Doctoris ſcripta inaceſsa ac inexplicabilia ſint. Hoc enim ipſum principium, eademque fidei regula bene vigilanterque intuentibus undique occurrit, ſed quia nullibi apertius plenius abſolutiuſque ſtatuitur. Tantum enim abeſt, ut Auguſtinus illud reſerare contendat, quin potius ſacratiſſimo graviſſimoque canone ipſum immobiliter figit humanæ curioſitati terminum, ac veluti ſignaculo temerariæ præſumtioni inviolabili occludit. Quia enim non agitur ſolummodo de homine innocenti culpabiliter lapſo, ſed homini innoxio antequam caderet, noxio poſtquam cecidit homo ipſe erectus reſtitutus firmatus componitur, ſtabilit in hoc canone mirabili prorſus ſolertia, & divino penitus ingenii acumine immutabile principium commune ac generaliſſimum, cuilibet hominum ſtatui, & univerſæ rationali & intellectuali creaturæ, ex quo deinde velut e centro deriventur per ambitum hunc veluti & circumferentiam innocentiæ perſeverantiæ lapſus redemtionis judicii diverſæ quodammodo lineæ, nempe diverſæ conſiderationes relationeſque, quas invicem habent diverſi hi ſtatus; quibus

bus omnibus rite perpenſis palam fiat ſtabilitas inconcuſſa duorum illorum articulorum, quos inſinuat objectio de perſeverantiæ dono, & de non perſeverantis crimine, & facilius horum collatione dignoſcantur veræ differentiæ, quæ in ſtatuum diverſitate comperiuntur. En Fidei confeſſionem, & in Fidei confeſſione magnum illud univerſale principium, de quo ſermo eſt.

Quapropter ſaluberrime confitemur, quod rectiſſime credimus Deum Dominumque rerum omnium, qui creavit omnia bona valde, & mala ex bonis exoritura eſſe præſcivit, & ſcivit magis ad ſuam Omnipotentiſſimam bonitatem pertinere etiam de malis benefacere, quam mala eſſe non ſinere: ſic ordinaſſe Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius oſtenderet, quid eorum poſſet liberum arbitrium, deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium, juſtitiæque judicium.

Cuilibet naturæ ſtatui commune.

XI.

SUadere mihi non valeo, eſſe aliquem cujuſlibet Scholæ, cujuſcumque ſit opinionis & ſectæ, cui proclive non ſit hanc fidei ſaluberrimam Confeſſionem admittere. Quin reor omnes eam in omnibus, & per omnia Catholiciſſimam reputare, ut nemini liceat ejus Orthodoxiæ reluctari, eamque non perlubenter amplecti.

Unum

Unum itaque ſupereſt inquirendum, videlicet utrum ſit adeo certa, adeoque præciſis contexta verbis, ut omnibus generaliter ſtatibus congruat, ac per hoc non ex ea diſtinctio profluat, quæ varias vices, mutationeſque naturarum Angelicæ & humanæ diſcernat, verum ex eo quod ſubditur: Vel etiam utrum ita ſit incerta & ambigua, ut ex ea non minus una quam altera ſententiarum poſſit effluere. Sed in comperto eſt, quod ſi ipſi diverſitates præſuppoſitæ adjutoriorum innituntur, non eſt amplius principium illud commune, de quo agitur, & ſi non eſt illud principium, non eſt amplius Fidei Confeſſio, aut certe qualis eſſe debet fidei confeſſio. Non eſt principium omni ſtatui commune, cum ex eo eorumdem ſtatuum diverſitas manat: non eſt amplius qualis eſſe debet fidei confeſſio, hoc eſt conſtans clara nec diſceptationibus obnoxia, ſi inde poſſunt oppoſitæ ex diametro erui ſententiæ.

Quod liquet ex Angelis quos includit.

XII.

UT autem liquido conſtet quam perſpicua ſit, quamque indiſputabiliter utrique ſtatui, utrique naturæ Angelorum & hominum integræ & corruptæ ſit evidenter communis, nullo

ingenii acumine, nulla ſubtilitate opus eſt, ſed ſimplici lectionis intelligentia, qua percipiatur ſenſus & ordo verborum. Quæritur cur Adam non perſeverando peccarit, qui perſeverantiam, qua perſeveraret, non accepit, quomodo, inquam, peccarit, cui defuit efficax gratia, & illud maximum donum, quo fit, ut perſeveret, quicumque perſeverat, aut quare non acceperit, de quo dici nequit, ideo non accepiſſe, quia non fuerat a perditionis maſſa gratiæ largitate diſcretus. Atque interim pulcherrima illa ſanctiſſimaque regula ſtatuitur conſequenter ad hanc inſtantiam. *Quapropter ſaluberrime confitemur* &c. Quæſo ſi hæc regula non eſt Angelis hominibuſque communis, qua de cauſſa includuntur Angeli dum de ſolis hominibus ſermo fit? Certe propoſita quæſtio nullam de Angelis mentionem facit, nec umquam alibi in hoc ſatis prolixo tractatu eorum, quod ſciam vel incidenter mentio fit. Fortaſſe dixeris incautius inſertos? Sed ab iis, quæ ſequuntur, patet, quonam conſilio inſerantur. Prætereo dicere hoſpitem prorſus eſſe in ſcriptis S.S. Doctoris, qui non erubeſcit incautum ſuſpicari. Qui vero aſſerere audet his in controverſiis æſtu diſputationis eum aliquando abripi, & extra ſepta impetu orationis excurrere, non huic divino viro contumelioſus eſt & iniurius, ſed ſibimetipſi,

dum

dum alterum certe e duobus oſtendit aut ingenii ſui tarditatem parvitatemque, aut ſuæ præoccupationis iniquitatem granditatemque, aut quod facilius utrumque. Verumtamen eſto bonus aliquando dormitet Homerus. Cui tandem ſuaderi niſi ineptiſſime ac impudentiſſime poterit, Auguſtinum in hoc tractatu dormitaſſe, addo inſuper in conſtantiſſima ſanctiſſimaque fidei definitione, quam ſaluberrima confeſſione profitetur? Cur itaque repente & quaſi e Machina inducit Angelos una cum hominibus, niſi quia non minus Angelis quam hominibus aptare intendebat graviſſimam ſapientiſſimamque doctrinam, quam præclara fidei confeſſione ſanciebat? Si aptare noluit, cur inſeruit? ſi inſeruit, cur aptare noluit, dum ne memorare quidem opus erat?

Ex ipſo etiam verborum contextu.

XIII.

Video equidem quid reponi poſſit. Non diffitemur, inquient, pulchram hanc regulam Angelis peræque ac hominibus aptari; quin etiam hoc ipſum eſt quod dicimus: nimirum eam aptari partim Angelis & hominibus, partim hominibus tantum, prout accomodæ diſtributionis neceſſitas poſtulat; quatenus quod attinet ad oſtenſionem potentiæ liberi arbitrii & Angelis & pri-

mo homini congruat, quod autem reliquum eſt, nempe quoad beneficium gratiæ hominibus tantummodo aptetur, quippe quod in his ſolummodo demonſtretur, ut liquet ex eo, quod dicit *prius*, nempe Angelis & primo homini, ac *deinde* hoc eſt hominibus tantum. His enim duabus voculis apertiſſime conſtituitur adjutoriorum diſtinctio, & accomoda diſtributio indicatur. Verum, inquam ego, ſi ubi prejudicata opinio eſt ibi qualiſcumque poteſt eſſe ſinceritas, ſileat præjudicata opinio, loquatur vel tantilla ſinceritas. Si Auguſtinus docere voluiſſet firmiter eſse credendum Angelos hominemque non perſeverando peccaſse, neque tamen ſive perſeverantibus Angelis, ſive hominibus poſt lapſum reſtitutis perſeverantiaque donatis quidpiam remanere unde glorientur niſi in gratuito independentique munere Domini largientis, quibus voluit miſericorditer gratiam, qua efficeretur in eis, quod juſte jubebat, & qua diſcernuntur a ceteris, quibus hujuſmodi gratiæ beneficium largitus non eſt; quid quæſo vos aptius apertius expreſſius dicere potuiſset, quam id, quod ait: *Quapropter* &c. Veritatem dico non mentior, tam proprie tam clare tam circumſpecte texitur hic fidei ſacratiſſimus canon, ne aliter poſſit intelligi, ut cogar dicere quod ipſe Auguſtinus de quodam Paulli loco ipſoque nedum tanta cum energia prolato,

to,* Pelagianis identidem refricat illud intelligere contendentibus non quomodo ſonabat, ſed quomodo ſonare volebant: *quamquam verear ne, res manifeſta exponendo potius obſcuretur, hujus confeſſionis lumen attendite.*

Qui omnem diſtinctionem excludit.

XIV.

AN vero laborioſum fuiſſet huic omnium longe feliciſſimo, & eloquentiſſimo ingenio, ſi præſumtam adjutoriorum diſtinctionem ſtatuere voluiſſet eam evidenter expromere in hac, quam vocat ſaluberrima & rectiſſima fidei regula? An vero aliud exquirebatur, niſi illum Angelos ab hominibus homines ſecernere ab Angelis, & his accomodare primum ſuæ periodi membrum, illis autem reliqua, ut ipſe propoſitæ quæſtionis ordo expoſcebat? Enimvero ſi dixiſset: ſaluberrime confitemur quod rectiſſime credimus Deum..... Sic ordinaſse Angelorum & primi hominis vitam, ut in ea prius oſtenderet, quid poſset eorum liberum arbitrium, deinde in lapſis hominibus, quid poſset ſuæ gratiæ beneficium: Profecto, inquam, ſi ſuam ſic protuliſset ſententiam, nil laboris aut operis ſupereſſet ad intelligendam adjutoriorum diſtinctio-

* *De peccat. merit. & remiſs. lib.* 1.

ctionem, & ipſe abſque ulla animi hæſitatione in eam prior manibus irem pedibuſque: ſin autem neque hoc neque alio aliquo huic proximo verborum contextu locutus eſt, quod percommode licuiſſet, quin potius eamdem in utriſque Naturæ & Gratiæ Æconomiam elegantiſſime profitetur, quare velint intolerabilem vim afferre, ſenſumque pervertere loci hujus tam apti tam aperti & ingenui? Quidquid dicatur nimia contumelia, ne dicam Sapientiſſimus Pater, ſed tota Catholica afficitur, quæ eumdem ut ſummum in hac præſertim controverſia Magiſtrum celebrat reveretur extollit; ſive dixeris adeo incautum, ut non animadverterit diſtinctionem, quæ Angelos intercedit & homines; ſive adeo tardum ut eam intercedere ignoraret; ſive quod eſt impudentius, adeo elatum tumidumque (ſit venia dicto non voluntario ſed violento) ut cum animadvertiſſet diſtinctionem, quæ intercedit, non modo neglexerit, verum etiam omnino ſuſtulerit; & hoc ſane non in aliqua incidenti fortuitave ſententia, ſed in graviſſima ſanctiſſimaque definitione Dogmatis ubique recepti uſquequaque conſtantis, & totius Eccleſiæ nomine palam ſine ulla diffidentia prolati, Eccleſiæ, inquam, cujus aciem fortiſſimus ductor ac ſtrenuiſſimus propugnator per tot annorum curriculos invictus &

Vi-

Digitized by Google

Victor agebat. Abſit, ut hujuſmodi probris tam pia tam humilis tam ſapiens anima vel leviter poſſit attingi. Contra evidentiſſimum eſt ſerio illum mature vere graviſſimeque hanc formulam eo verborum ordine texuiſſe, ut nulla vi nulla arte qualemcumque liceat ſacratiſſimæ regulæ diſtinctionem inſerere, quod attinet ad illos tres articulos, quibus tanta circumſpectione contexitur.

Ob oculos ponuntur diverſæ interpretationis abſurda.

XV.

QUoniam quidem quo umquam pacto dici queat, ipſum cogitaſſe de aptanda Angelis & primo homini oſtenſione potentiæ liberi arbitrii, deinde non Angelis ſed hominibus oſtenſione potentiæ beneficii gratiæ? Primum enim non ait Angelorum & primi hominis, ſed Angelorum & hominum, ex quo patet ſub eadem categoria illos eſſe conjunctos, eademque linea utroſque concludi, nec aliter intelligi poſſe generalem loquendi formulam, ſi apertiſſimum regulæ ſenſum non pro arbitrio pervertere ac detorquere conamur. Secundo liberum arbitrium cum gratia, quam deinceps appellat adjutorium *ſine quo non* ſive in Ange-

Digitized by Google

gelis, ſive in hominibus ad nihil aliud valet, quam ad oſtendendum quid poſſit, nam ſi defuiſſet ſine ſua culpa utique cecidiſſent. Quod ſi iſtiuſmodi auxilium ad nihil aliud valet, quam ad oſtenſionem potentiæ liberi arbitrii per illud enim nonniſi potuiſſe permanere convincitur, quod non potuit niſi exitialiter peccando deſerere (conſtat autem ſaltem in Adam per hoc auxilium gratiæ beneficium minime demonſtrari) neceſſario ſequitur Angelos ſanctos excludi a gratiæ beneficio; quandoquidem auxilium *ſine quo* in ſtatu naturæ innocentis, & ratione finis ſupernaturalis ad quem ordinabantur Angeli & homines tametſi eſſet donum Creatoris, dabatur nihilominus ſecundum debitum non ſecundum gratiam; debebatur enim ſive ordinationi naturæ ſive æquitati divinæ juſtitiæ, quæ nullam intellectualem ſubſtantiam condere poterat ſuis ita nudatam muneribus, ut neceſſario & inevitabiliter corrueret. Etenim Omnipotentiſſimus Creator, qui nulla vi nulla neceſſitate nullo debito, ſed ſola ſuæ bonitatis effuſione Angelicam ex nihilo condiderat humanamque naturam, eamque ita ordinaverat, ut ſui Conditoris participatione beata poſſet eſſe vel permanſione beatiſſima, vel deſertione miſerrima, ſic eam demum condere debuit, ut per liberum arbitrium alterutrum poſſet, ſcilicet vel deſe-

Digitized by Google

deſerere vel permanere ſi vellet. Itaque qui indebita largitate condiderat ordinaveratque naturam, debitam naturæ ordinationi largitus eſt gratiam, qua non natura quidem ſed in naturæ ordinatione poſſibilitas ipſa decernitur. Quis autem ferre queat ſanctos Angelos arceri a gratiæ beneficio, quo ſancti ſunt? Si vero nolint gratiæ beneficio in homine primo deputare adjutorium illud, quo fit ejus inexcuſabilis lapſus, cur amabo ſequi nolint eamdem rationem in Angelis ſanctis? Porro ſi excludantur Angeli a gratiæ beneficio, quia perſeverantes nil aliud oſtenderunt, quam quid poſſet eorum liberum arbitrium, neceſſe erit excludere hominem ab oſtenſione potentiæ liberi arbitrii, quia ſolummodo cecidit, & vel per ipſos dum reſtituitur & perſeverat, non amplius oſtenditur quid poſſit liberum arbitrium, ſed tantummodo quid poſſit gratiæ beneficium. Quamlibet harum hypotheſium eruere placeat a regula tam perſpicua tam propria tam ſalubri, non alia eruuntur quam intolerabiliſſima abſurda, quæ tamen neceſſario erui debent a quocumque contenderit in ea prætenſam adjutoriorum diſtinctionem conſtitui.

Continuatio ejuſdem argumenti.

XVI.

PRæterea ſi Angelis aptetur ſola oſtenſio liberi arbitrii, ita ut excludantur a gratiæ beneficio, nempe ſtatuendo diſtinctionem in verbis illi *prius* & *deinde*, ne dicam prioritatem hanc & poſterioritatem non eſſe, ut patet, temporis, ſed ordinis ſeu conſiderationis aut reflexus; neque enim ſtantium perſeverantia conſideratur niſi comparatione lapſorum, & lapſus conſideratio præcedit ordine perſeverantiæ conſiderationem. Inde adhuc abſurdiſſimum ſequeretur, neceſſitas ſcilicet excludendi Angelos a judicio juſtitiæ, quod eſt in poſterioritate iterum remotiore a gratiæ beneficio. Cui vero perſuaderi poterit hujuſmodi inſania? Cautiſſime quidem judicium juſtitiæ, quod ſine controverſia oſtenditur in Angelis ac in hominibus tertio & ultimo loco a S. Doctore collocatur, ut apertiſſime pateret illis, quibus competit hoc poſtremum potiori jure congruere priora, adeoque ut in Angelis & in hominibus oſtenditur, quid poſſit juſtitiæ judicium: in Angelis itidem, & in hominibus oſtendi quid poſſit gratiæ beneficium, quid eorum liberum poſſit arbitrium. Quæcumque alia interpretatio detur huic

ſen-

Digitized by Google

ſententiæ tanta cum circumſpectione proprietate perſpicuitate digeſtæ, temerandus eſt omnis ordo ſermonis humani, patuluſque campus cuilibet fanatico ac æſtro percito reſerandus, ut libere poſſit confuſionis & tenebrarum chaos immenſum effundere in auguſtiora quæque lucidiora & ſacratiora totius antiquitatis ſive ſacræ ſive profanæ monumenta.

Quæ ſequuntur ad regulam exigenda eſſe, non regulam ad ea, quæ ſequuntur.

XVII.

QUamobrem idipſum mihi fari poſſe videor, quod idem B. Auguſtinus de Pauli quodam ajebat oraculo, & huic regulæ ſpiritus apoſtolici plenæ aptare nobile illud elogium, quod ipſe ſimillimæ Apoſtoli definitioni, qua enormi cæcitate & incredibili audacia Pelagiani abutebantur, aptavit:* *Mirum*, inquit, *ſi aliquid quæritur hac manifeſtatione liquidius: niſi forte audiendum ſit, quod huic perſpicuitati contradicitur ab eo, quod ſequitur*. Audiamus itaque, & dicatur regulam hanc explanari & elucidari debere juxta illud, quod ſubditur, & ab eo, quod deinceps pertractatur, eſſe illuſtrandam; ſed repeto, mirum, ſi quæritur aliquid hac manife-

* *De peccat. merit. & remiſs. l. 1.*

ſtatione liquidius, quæ procul dubio nullo indiget exteriori lumine ingenito fulgore nitidiſſima. Addoque etiam: Nonne hæc eſt totius Logices, & potiori jure totius Theologiæ deteſtanda perverſio, principia concluſionibus eſſe illuſtranda, & non magis concluſiones elucidandas eſſe principiis? Quis leniter ferat Dogmaticas definitiones ſanctiſſimoſque canones ſpiritu Dei conditos ad controverſas exigi quæſtiones, graviſſimaſque regulas totius orbis veneratione conſecratas ad examen revocari; & non magis controverſas quæſtiones & identidem exorientia diſſidia ad ipſas fidei regulas velut ad Apoſtolicas petras allidi explanari vel conteri? Quid tutum quid firmum quid ſanctum erit in Scripturis, in Eccleſia, in Traditione, ſi tam impudens tam abſurda tam impia ratiocinatio, ſeu verius a ratione defectio prævaleat? Aut igitur diffitendum eſt ſenſu ipſo & evidentia repugnante adductam regulam eſſe fidei confeſſionem & normam: aut ſi fas non eſt ſine pertinacia pervicaciaque non rationis modo, ſed ſenſuum teſtimonio contradicere, oppoſitum, vel obtorto collo fatendum eſt, nempe quidquid reliquum eſt diſputationis, quidquid per tota hæc tria capita longe lateque diffunditur ad hanc regulam veluti ad amuſſim exigi debere, & ex ipſa proferendam facem, qua illuſtretur enodetur ex-

pla-

planetur quidquid ſubinde occurrerit obſcurum perplexum ambiguum.

Neutrum tamen præſtari poſſe a verſatilis Gratiæ aſſertoribus.

XVIII.

VErum ſit, ut lubet, concedaturque parumper non a regula illuſtranda eſſe ea; quæ ſequuntur, ſed ab iis, quæ ſequuntur illuſtrandam eſſe regulam ipſam. Attamen in id omnino quidem conveniendum eſt, ut ſive regula referatur ad ea, quæ ſequuntur, ſive ea quæ ſequuntur ad regulam, regulam ipſam immutabilem integerrimamque ſervari prorſus oporteat. Hoc poſito progrediamur. Dicit itaque continuo poſt fidei formulam: *Denique Angeli quidam, quorum princeps qui dicitur diabolus, per liberum arbitrium a Domino Deo refugæ facti ſunt. Refugientes autem ejus bonitatem, qua beati fuerunt, non potuerunt ejus effugere judicium, per quod miſerrimi effecti ſunt.* In his verbis aut conſtat regulam ex parte, aut ex toto compleri. Non ex toto quia nullus gratiæ beneficio locus eſt: ergo ex parte utique, quoniam tam aperte declaratur & liberi poteſtas arbitrii, & divini potentia judicii. Neminem puto contentioſum funem hic trahere velle, nec illud *prius* & *deinde*, quod regulæ inſeritur, refugas Angelos

exi-

eximit, aut ab oſtenſione potentiæ liberi arbitrii, aut ab experimento potentiæ divini judicii. Inſpiciendum igitur ſupereſt, quonam pacto intelligendum ſit, quod de ſanctis Angelis ſubnectitur, de quibus poſt illico ſic fatur: *Ceteri autem per ipſum liberum arbitrium in veritate ſteterunt, eamque de ſuo caſu numquam futuro certiſſimam ſcire meruerunt*. Videlicet an referri debeat ad regulam nec ne? Sed utroque modo, ſeu regula referatur ad iſtud quod ſequitur, ſeu iſtud quod ſequitur referatur ad regulam, evidenter conſequitur id, quod ſanctos Angelos diſcernit a refugis eſſe gratiæ beneficium, quod illis collatum fuit, non his, in quibus ſolummodo oſtenſa eſt liberi poteſtas arbitrii, non per liberum arbitrium gratuiti potentia beneficii. Hoc autem ſi ita ſit, ubi erit prætenſa adjutoriorum diſtinctio? Eja agite oſtendite etiam tertiam regulæ interpretandæ methodum. Sin autem peroptarem mihi dici, qua de re ſequi oporteat præſcriptam normam reſpectu Angelorum refugarum, nefas vero ſit illam ſequi reſpectu Angelorum ſanctorum. Quod ſi reponi vellet eadem cum verſatili gratia, adeoque verſatili gratiæ beneficio per liberum arbitrium alios cecidiſſe, per idem liberum arbitrium alios ſtetiſſe; tunc oportebit alterutrum facere: aut Angelos reprobos beneficii gratiæ participes reddere,

dere, aut ab eodem gratiæ beneficio ſanctos excludere, regulamque enormi adeo horrendaque perverſione turbare funditusſque ſubruere, ut in Angelis ſanctis liberi oſtendatur poteſtas arbitrii, in refugis beneficii gratiæ declaretur potentia, & quod illis perſeverantibus expungitur, hiſce corruentibus commendetur, cujus perverſionis, ne acerbius loquar, quid ineptius quid petulantius quid irrationalius dici poteſt?

Quam ſapienter in utriſque liberum memoretur arbitrium.

XIX.

Dilucide quidem clarere puto, quomodo ad regulam expendi debeat bina illa partitio Angelorum tum refugarum tum ſanctorum, nec quidquam obeſse, quod libero tribuatur arbitrio tum horum perſeverantia, tum illorum a veritate defectus, quandoquidem ipſa generalis regula præclare indicat, quid refugis, quid demum competat ſanctis, dum non tota in his, tota in illis, ſed partim in his, partim in illis tota adimpletur. Verumtamen quia video illam liberi arbitrii in utriſque mentionem verſatilis gratiæ vindicibus apud tardiores præbere qualecumque ſuffugium, operæ pretium duco hanc loquendi aptiſſimam formulam Deo

opi-

opitulante adhuc dilucidius exponere. Quid eſt quod dixit D. Auguſtinus? *Deum ſic ordinaſſe* &c.. Hoc ut demonſtret impletum, continuo ſubdit: *Denique Angeli quidam ..... Ceteri autem* &c. In hac igitur vita Angelorum & hominum tria illa oſtendi debent, quid poſſit liberum arbitrium, quid poſſit gratiæ beneficium, juſtitiæque judicium. Denique Angeli quidam, aut in Angelorum quorumdam vita oſtenditur prius quid poſſit procul dubio liberum arbitrium, juſtitiæque judicium. Ceteri ergo, vel in ceterorum vita non quid poſſit liberum arbitrium, ſed oſtenditur, quid poſſit gratiæ beneficium. At inquiunt, quid ergo B. Auguſtinus liberum hinc & inde dicit arbitrium, eique tribuit & apoſtatarum lapſum, & ſanctorum perſeverantiam? Eadem plane ratione qua & ego dico hinc & inde vitam. Rogo vos, ſi dixiſſet, hæc vita in Angelis quibuſdam oſtendit, quid ipſa poſſet: aut quod idem eſt, Angeli quidam per hanc vitam a Domino Deo refugæ facti ſunt. Ceteri autem per hanc eamdem vitam oſtenderunt, quid poſſet gratiæ beneficium, hoc eſt in Veritate ſteterunt, ullane difficultas ſupereſſet? Nulla plane. Cur ergo illo dicente per liberum arbitrium Angeli quidam refugæ facti ſunt. Ceteri autem in Veritate ſteterunt per idem liberum arbitrium, ita pervertimus, ac perturbamus

mus aptiſſimæ loquendi formulæ apertiſſimum ſenſum? Quid aliud eſt liberum arbitrium, quam illa vita, illa natura, per quam trium illorum articulorum fieri debet oſtenſio? Tollat quis liberum arbitrium, ac deinde illam naturam ſeu vitam oſtendat: illam naturam ſeu vitam tollat, ac deinde liberum oſtendat arbitrium. Jure igitur merito cautiſſime vigilantiſſimeque tum in refugis, tum in ſtantibus liberum memoratur arbitrium, quia liberum arbitrium nihil aliud eſt, quam illa vita, illa natura, quam ſic Deus ordinavit, ut in ea prius oſtenderet, quid ipſa poſſet, deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium juſtitiæque judicium. Vel etiam illa vita, illa natura nihil aliud eſt, quam Angelorum & hominum liberum arbitrium, quod ſic Deus ordinavit, ut in eo prius oſtenderet, quid ipſum poſſet, deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium juſtitiæque judicium. Dicatur itaque quodcumque libuerit, ut Angeli ſancti a gratiæ beneficio excipiantur, dicere licebit, ſentire licebit, quidquid profecto libuerit; nemo tamen dicet aut ſentiet, quod dicit & ſentit Auguſtinus, quod cum Auguſtino dicit & ſentit Catholica Eccleſia, quod dicunt & ſentiunt cum Auguſtino & Eccleſia ipſi Angeli ſancti. Avertat enim Deus Angelos ſanctos, qui per liberum in veritate ſteterunt arbi-

trium in ipſo & non magis in ſolo gratiæ beneficio gloriari: ſibi non Domino tribuere, quod ſteterint: propriis viribus, quarum miſerrimum in refugis intuentur experimentum, & non potius *magnæ illi per Spiritum Sanctum datæ Charitati Dei, qua factum eſt, ut cadere ulterius omnino non poſſent, & hoc de ſe certiſſime noſſent.* Quandoquidem de Angelis æque ac de hominibus *ſaluberrime confitemur quod rectiſſime credimus Deum* &c.

Servata ſtatuum diverſitate regula aptatur & homini.

XX.

AB Angelis ad hominem innocentem præſtantiſſimus Doctor indivulſa conſecutione deſcendit, de quo ita loquitur: *Sic & hominem fecit cum libero arbitrio, & quamvis ſui futuri caſus ignarum, tamen ideo beatum, quia non mori, & non miſerum fieri in ſua poteſtate eſſe ſentiebat. In quo ſtatu recto ac ſine vitio, ſi per liberum manere voluiſſet arbitrium, profecto ſine ullo mortis & infelicitatis experimento acciperet illam merito hujuſmodi permanſionis beatitudinis plenitudinem, qua & ſancti Angeli ſunt beati, ideſt ut cadere non poſſet ulterius, & hoc de ſe certiſſime noſſet. Quia vero per liberum arbitrium Deum deſeruit,*

ſeruit, juſtum Dei judicium expertus eſt, ut cum tota ſua ſtirpe, quæ in illo adhuc poſita tota cum illo peccaverat, damnaretur. Oſtendit itaque nullum interceſſiſſe diſcrimen Angelos inter & hominem, quoad liberi poteſtatem arbitrii, ac beatitudinis præmium, quod per idem liberum conſequi potuiſſet arbitrium. Sed quia & in homine vere completur, quod in Fidei confeſſione rectæ ſalubriterque conſtituit, demonſtrandum aggreditur, quod diverſimode quidem completur in homine, ſed illud ipſum quod in Angelis hucuſque demonſtravit impletum. Adam poterat ſtare in eo ſtatu recto ac ſine vitio, ſi per ipſum liberum manere voluiſſet arbitrium, quia vero per liberum arbitrium, per quod ſtare poterat *Deum deſeruit, juſtum Dei judicium expertus eſt, ut cum tota ſua ſtirpe, quæ in illo adhuc poſita tota cum illo peccaverat, damnaretur.* En duos regulæ articulos in homine noxio perinde ac in Angelis refugis exacte completos, ideſt liberi poteſtatem arbitrii, juſtitiæque judicii. Gratiæ autem beneficium, quod in Angelis ſanctis in ipſo integritatis & innocentiæ ſtatu lætius abſolvitur, non demonſtratur in hominibus niſi in ſtatu reatus & miſeriæ damnationis & pœnæ, & hoc illud eſt, in quo ſtatuitur vera diverſitas, quæ intercedit beneficium gratiæ, quod oſtenſum fuit in Angelis

Digitized by Google

ſanctis, & quod nunc in hominibus lapſis non lætius verumtamen potentius abſolvitur. Quæ quidem diverſitas non reſpicit efficaciam ac potentiam beneficii, niſi relative ad diverſos & multiformes effectus quod idem beneficium operatur, prout exigit multimoda infirmitas & infelicitas hominum, quarum nulla fuit umquam in Angelis ſanctis. Hinc eſt quod ait: *Quotquot ergo ex hac ſtirpe Gratia Dei liberantur a damnatione utique liberantur, qua jam tenentur obſtricti, unde etiamſi nullus liberaretur, juſtum Dei judicium nemo juſte reprehenderet.*

Quæ ſequuntur nullatenus congruere præmiſſis ſecundum verſatilis Gratiæ patronos.

XXI.

HAnc indubitanter aſſero B. Viri mentem eſſe, audeoque dicere fieri non poſse, ut quidquam ſubtrahatur ab illa norma, ab eo principio, a quo cuncta per tres illos articulos, veluti triplici funiculo, quod difficile rumpitur indiſſolubili vinculo colligata dependent. Unum igitur ſupereſt iis, qui defendere ſtudent prætenſam adjutoriorum diſtinctionem, ut ſcilicet pernegent jure vel injuria illam eſſe regulam & principium Angelis hominibuſque commune; quin etiam mordicus teneant ipſi regulæ,

diſtin-

Digitized by Google

diſtinctionem inniti, quæ deinde per ſequentia capita fuſius pertractetur. Nolo adverſus eos uti jure meo, & præſcriptione qua poſsem adductis hucuſque in contrarium momentis inſiſtens. Ipſis conſiderandum relinquo ſint ſolubilia nec ne, & an poſſint diffiteri commune, quod commune per ipſa ineluctabiliter evincitur. Quinimo multo ampliora concedam, & eis ulterius indulgeam, ut tantiſper mihi perſuadeam non modo ambigi merito poſse, ſed manifeſte omnino apparere per adductam Fidei regulam diſtinctionem, ac proinde gratiam in ſtatu innocentiæ verſatilem, in corruptionis vero efficacem indubitanter inſinuari. Hoc interim conſtituto eos obſecro, queis ita perſuaſum eſt, & qua fieri poteſt ſupplicatione efflagito, ut mihi pariter indulgeant, ac eloqui eos non pigeat, quanam de cauſsa quave ratione præſtantiſſimus Doctor initium capitis ſequentis ab hac diluenda objectione deſumat? *Quid ergo*, inquiens, *Adam non habuit gratiam*?

CAP.

Digitized by Google

C A P. XI.

Continuatio ejuſdem argumenti.

XXII.

DIcant ſi velint, dicant ſi valeant, quanam de cauſſa S. Auguſtinus hujuſmodi ſibi objiciat inſtantiam? Stabilivit, ut placet, adjutoriorum diſtinctionem: oſtendit Angelos & Adam habuiſſe verſatilem gratiam; fuſius patefecit Angelos refugas per liberum arbitrium ea abuſos fuiſſe: Angelos ſanctos per idem liberum arbitrium optime uſos: horum uſum, illorum abuſum nil ultra demonſtraſſe quam quid eorum liberum poſſet arbitrium. Copioſe diſſeruit Adam eadem fuiſſe præditum gratia, *ut in eo ſtatu recto ac ſine vitio, ſi per ipſum manere voluiſſet arbitrium, ſine ullo mortis & infelicitatis experimento acciperet illam, merito hujuſmodi permanſionis beatitudinis plenitudinem, qua Angeli ſancti ſunt beati*. Dixit, & niſi dixiſſet, ſatis imo nimium conſtat ea illum turpiter abuſum fuiſſe, *juſtumque Dei judicium expertum, ut cum tota ſua ſtirpe, quæ in illo adhuc poſita tota cum illo peccaverat, damnaretur*. Ut quid ergo quave de cauſſa tam abſonam prævenit objectionem? Et quod eſt longe curioſius, ut quid

Digitized by Google

quid tam operoſe laborat, ac totum in ea præſens caput, & ſequentis maximam partem inſumit? Videlicet ut rem tam firmam adeo certam compertiſſimamque præſcribat? Numquid exiſtimabat Monachos Adrumetinos ita obliviosos, ut non amplius reminiſcerentur id, quod ſuperius tam aperte declaraverat; aut ita bardos & ſtipites, ut difficillime comprehenderent rem humanæ ſuperbiæ procliviſſimam, gratiſſimamque, Adam cum verſatili gratia habuiſſe gratiam? Porro ſi ignorant Adam cum verſatili gratia habuiſſe gratiam; cur idipſum de Angelis minime inquirunt, & præcipue de Angelis Sanctis, de quibus tanto ſedulius exploranda fuit gratia, quanto manifeſtior fuit per liberum arbitrium perſeverantia? Dicant repeto, quidquid placuerit, qui hæc opinantur, mihi certiſſime perſuaſum eſt, eos nil umquam repoſituros quod ſanum ſapiat quod ſobrium quod verum.

Contra mire congruere.

XXIII.

Contra vero quicumque intenderit animum pulcherrimo illi ſaluberrimoque principio, quod S. Auguſtinus arduæ hujus quæſtionis initiis affigit, & illud conſideraverit, prout revera

vera eſt in cunctis tribus articulis, quos diſtinctim continet Angelis hominibuſque commune, apparebit illico mirabiturque, quanta ſolertia Divini hujus Viri ingenium ad horrorem perſpicaciſſimum præoccupet hujuſcemodi inſtantiam, *Quid ergo Adam non habuit gratiam*? Cum etenim conſequenter ad ea, quæ paullo ante ſanciverat hoc eſt *Deum ita ordinaſſe Angelorum & hominum vitam, ut in ea* &c. Cum docuiſſet Angelos partim per liberum arbitrium cecidiſſe, partim per idem liberum arbitrium in veritate ſtetiſſe, vidit beatiſſima illa mens quam obvie quam facile quam naturaliter objici poſſet hujuſmodi inſtantia. In Angelis refugis oſtenſum eſt quod poſſet eorum liberum arbitrium: In ſtantibus oſtenſum eſt quid poſſet gratiæ beneficium: In hominis caſu oſtenſum eſt quid poſſet ejus liberum arbitrium: *Quid ergo Adam non habuit gratiam?* Vidit, inquam, quam prone poſſent in alterutram harum deceptionum ac velut ſcopulorum impingere, ut aut libero arbitrio tribuerent poſſe ſine gratia: aut ſi ad nihil valet ſine gratia Adæ lapſum excuſarent a culpa. Ut igitur utramque harum deceptionum diſijciat, ut utrumque deſtruat errorem, docet Adam habuiſſe quidem gratiam, & gratiam magnam, ſed valde diſparem ab ea, qua poſt lapſum erigitur, & qua oſtenditur etiam in hominibus

nibus illud ipſum gratiæ beneficium, quod prius innotuerat in Angelis ſanctis.

Servata diverſitate ſtatus non diſtingui adjutoria.

XXIV.

QUamobrem *imo vero*, ait, *habuit magnam ſed diſparem. Ille in bonis erat, quæ bonitate ſui conditoris acceperat: neque enim ea bona & ille ſuis meritis comparaverat, in quibus nullum patiebatur malum. Sancti vero quibus competit liberationis hæc gratia in malis ſunt, ex quibus clamant ad Deum libera nos a malo. Ille in illis bonis* &c. Hanc comparationem inter gratiam quam habuit Adam in ſtatu innocentiæ, qua oſtenſum eſt quid poſſet ejus liberum arbitrium, inter eam quam non habuit Adam, habuerunt Angeli ſancti, in quibus oſtenſum eſt quid poſſet gratiæ beneficium, & eam quæ ſolis Prædeſtinatis ex hominibus poſt lapſum conceditur, latius proſequitur docens hanc vere & proprie eſſe gratiam Redemtoris, qua oſtenditur quid poſſit ejus erga homines beneficium. Nec ego dignoſcere valeo, quid in præſentiarum tam exactæ conſecutioni & tantæ perſpicuitati reponi & objici queat, niſi forte quis dixerit hoc proprie pacto gratiam Servatoris a Creatoris gratia eſſe

diſcriminandam, ut iſta ſit verſatilis, quia in integritate naturæ, illa vero quia in ejuſdem infirmitate ſit efficax. Sed præterquam quod id omnino conſequi nequit ex his quæ hactenus diſſeruimus, addam, ut dici ſolet, per tranſennam, quod interim ad meam perſuaſionem abunde foret, & pro quavis probationum complexione & acervo: Scilicet neſcire me qua de cauſſa admittenda ſit inter gratiam Creatoris, & gratiam Servatoris iſta diverſitas, dum ille qui non eſt potentiſſimus Reparator niſi quia ſimul eſt Omnipotens Creator, haud equidem plus impenderet laboris & operis, ut gratiam redderet in ſtatu naturæ corruptæ verſatilem Reparator, quam impenderit, ut eam largiretur in ejuſdem integritate Creator. Ideo vero efficacem illam in ſtatu naturæ vitiatæ largitur Omnipotens Reparator, quia in ſui plaſmatis reparatione non ſequitur aliud ab alto immutabilique conſilio, quod ſibi Omnipotentiſſimus Creator præſtituit, de quo in utroque ſtatu *ſaluberrime confitemur quod rectiſſime credimus* &c.

Gra-

Digitized by Google

Gratiam potentiæ ne gratiam quidem appellari ab Auguſtino comparatione beneficii gratiæ.

XXV.

EX eo quod diximus de objectione, quam incredibili ſolertia ſapientiſſimus Vir occupavit, & quæ ejus mentem mirum in modum aperit, & plurimam lucis vim circumquaque diffundit, ac præcipue in ea, quæ pone ſequuntur, haud negligendam puto brevem quidem ſed admodum neceſſariam graviſſimamque animadverſionem, quæ inde manifeſte colligitur. Certo certius ſeu gratia primi hominis conſideretur juxta eorum ſententiam quos refellimus verſatilis, ſive ſit ſecundum pleroſque ſimpliciter gratia potentiæ, & proxime quidem ſed mere ſufficiens, ambigi tamen nequit, quin ea ſit ex D. Auguſtino gratia magna: *habuit magnam ſed diſparem*. Conſtat autem apud utroſque ſaltem in hominibus non oſtendi gratiæ beneficium niſi per potentiorem adeoque efficacem, cum prior illa nil aliud oſtenderit, quam quid poſſet Adæ liberum arbitrium. Patet igitur ex D. Auguſtino eſſe Gratiam Creatoris & gratiam magnam, quam nihilominus ipſemet Auguſtinus ne gratiam quidem appellat. Ergo li-

cet Auguſtinus ſeſe non aperte explicaret, poſſumus, immo ſecundum ipſum Auguſtinum debemus inferre, in ipſo quoque ſtatu naturæ vitiatæ eſſe gratiam, gratiam potentiæ gratiam Salvatoris magnam ſimpliciter, ſed vere & quovis in ſenſu, intra potentiæ tamen terminos ſufficientem, quam nihilominus Sanctus Auguſtinus comparatione potentioris ne gratiam quidem appellat. Siquidem per ipſum manifeſtiſſime liquet aliud eſſe gratiam, aliud eſſe gratiæ beneficium. Gratiam habuit primus homo; Gratiæ beneficium primus homo non habuit. Gratiam habuerunt Angeli & refugæ & Sancti: Gratiæ beneficium habuerunt ſancti, non habuerunt refugæ. Gratia igitur eſt, quæ bonis eſt maliſque communis: gratiæ beneficium eſt, quod bonos diſcernit a malis. Gratia eſt, quæ ex ipſa interdum naturæ ordinatione ſignificatur: Gratiæ beneficium eſt, quod nuſquam & numquam non a naturæ ordinatione diſtinguitur, ut pote quo ordinatio & poſſibilitas ipſa perficitur.

Adju-

Adjutoria in quolibet ſtatu non eſſe abſolute, ſed relative diverſa.

XXVI.

SEd ut eo revertamur unde digreſſi ſumus, poſt dilutionem adeo germanam & conſectariam objectionis, quam tanto acumine Divinus plane Vir occupaverat, progreditur ordine prorſus admirando diſputationis undequaque teretis & conſtantiſſimæ ad illud ipſum, quod ingenue pariter ſequitur ex his quæ ſupra digeſta ſunt. Videlicet ad indicandam veram differentiam, qua diſcernuntur iſta adjutoria in diverſis naturæ ſtatibus: nempe adjutorium ſeu gratia poſſibilitatis perſeverantiæ, quam habuerunt cum Adam corruentes Angeli: adjutorium effectus adeoque perſeverantiæ, quod habuerunt Angeli ſancti, non habuerunt nec Adam nec Angeli refugæ: & adjutorium itidem perſeverantiæ, quod cum primo Adam habent in ſecundo Adam Prædeſtinati ex hominibus. *Ille*, inquit, *in bonis erat, quæ bonitate ſui Conditoris acceperat: Neque enim ea bona & ille ſuis meritis comparaverat, in quibus prorſus nullum patiebatur malum. Sancti vero in hac vita, ad quos pertinet liberationis hæc gratia in malis ſunt, ex quibus clamant ad Deum libera nos a malo. Ille in illis bonis Chriſti*

mor-

morte non eguit : iſtos a reatu & hæreditario & proprio illius Agni ſanguis abſolvit. Ille non opus habebat coadjutorio, quod implorant iſti, cum dicunt, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis, infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum : quoniam in eis caro concupiſcit adverſus Spiritum, & Spiritus adverſus Carnem, atque in tali certamine laborantes atque periclitantes dari ſibi pugnandi vincendique virtutem per Chriſti gratiam poſcunt. Ille vero nulla tali rixa a ſeipſo adverſus ſeipſum tentatus atque turbatus in illo beatitudinis loco ſua ſecum pace fruebatur. Deinde pulcherrimas has antitheſes antitheto adhuc pulchriore concludit : *Proinde*, inquiens, *etſi non interim lætiore nunc, verumtamen potentiore gratia indigent iſti*. Prætermitto ea, quæ ſequuntur, nulla enim de illis eſt, aut inter nos eſſe controverſia poteſt. Deinde iterum dico, quod paullo ante dixiſſe me memini : Mirum ſi aliquid quæritur hac manifeſtatione liquidius. Si ratio, ſi bona fides, ſi communis non deficit ſenſus, ſi ſtandum eſt verbis verborumque ſono, non violenter agendum, ut verba ſonent, quod malumus, magis quam quod ſonant, quid aptius quid apertius quid invictius dici poteſt. Quis non videat,
niſi

niſi qui videre nolit, Auguſtinum componere gratiam quam habent Prædeſtinati ex hominibus, non cum ea modo, quam habuit Adam, verum etiam cum ea quam habuiſſet, ſi perſeveraſſet? Quis non videat, niſi qui videre nolit S. Doctorem comparare gratiam, cujus indigebat Adam, cum ea cujus indigent Sancti? Quis non ibi ſubintelligat, niſi qui pertinaciter nolit, quod tam manifeſte indicatur: *Proinde etſi non interim lætiore nunc, (qua tunc ille indigebat,) verumtamen potentiore gratia indigent iſti.*

Ut colligitur ex præmiſſis.

XXVII.

NEque vero dicat aliquis, cur non potius illud ſubintelligatur, quod genuine magis inde conſequitur? ideſt etſi non interim lætiore nunc, (*quam tunc habuit ille*,) verumtamen potentiore gratia indigent iſti; præſertim cum ſupra dixerit de Adam, habuit magnam ſed diſparem? Nolo verbis contendere. Grammaticis litem hanc ablego, ipſi viderint quid rectius quid verius quid germanius ſubintelligi queat: num indigebat, quod ly indigent ſancti, pulchre reſpondet, an vero habuit, quod nullatenus certe ly indigent, congruit. Validius igitur in adverſum reſpondeo, ajoque id nullo pacto intelligi

poſſe

poſſe juxta B. Viri mentem, nec ex iis, quæ hucuſque præmiſit, nec ex iis quæ præmiſſis poſt paullo ſubnectit. Quid eſt quod præmiſit? *Deum ſic ordinaſſe Angelorum & hominum vitam* &c. Adam cecidit, oſtenditque cadendo, quid poſſet liberum arbitrium, non quid poſſet gratiæ beneficium, quod utrumque oſtenſum fuerat in Angelis. In refugis potentia liberi arbitrii, Gratiæ beneficii virtus in ſtantibus. Unde etiam incredibili ſagacitate inſtantiam ſibi objicit, quam ſupra conſideravimus: *Numquid Adam non habuit gratiam?* reſponditque, *imo vero habuit magnam ſed diſparem*. Porro ego interrogo Adam habuit gratiam utique magnam ſed diſparem, cui? illi procul dubio qua demonſtratur beneficium, quod proprie gratiæ beneficium nuncupatur: atqui beneficium illud, quod oſtenditur poſt caſum, oſtendi poterat antequam caderet, nec verſatili oſtendi poterat: ſtulte enim interrogaretur *Quid ergo Adam non habuit gratiam?* ut inviɫiſſime demonſtravimus. Igitur ut oſtenderetur antequam caderet, lætiore tunc indigebat, etſi nunc indiget potentiore.

Nec-

Necnon ex iis quæ ſequuntur.

XXVIII.

SEd ne videar ſomniare viſiones videre, aut de corde meo prophetare, deſcendamus ad ea, quæ ſequuntur prætermiſſis illis, de quibus facile cuncti conveniunt. Quid eſt quod ſequitur? *Iſtam gratiam non habuit primus homo, qua numquam vellet eſſe malus.* De quanam gratia hic loquitur? Non de gratia qua poſſet, quam plane habuit: non de illa quæ potentior eſt, & qua indigent iſti, *quia ille in illis bonis Chriſti morte non eguit*, de qua igitur loquitur, ſi de ea non loquitur, quæ tunc quidem fuiſset lætior, *lætiore tunc*, & qua fuiſſet oſtenſum, quid poſſet ejus beneficium? Id vero tanto manifeſtius fit, ut quaſi poſſet denuo præcedens inſtantia reponi: ideſt, ſi lætiorem hanc gratiam non habuit, quid ergo Adam non habuit gratiam? continuo incomparabili diligentia, & oculatiſſime ſubdat: *Sed ſane habuit, in qua ſi permanere vellet, numquam eſſet malus, & ſine qua etiam cum libero arbitrio bonus eſſe non poſſet, ſed eam tamen per liberum arbitrium deſerere poſſet. Quoniam liberum arbitrium ad malum ſufficit, ad bonum autem* (alibi *nihil eſt*) *parum eſt, niſi adjuvetur ab omnipotenti bono: quod adjutorium ſi homo*

ille per liberum non deſeruiſſet arbitrium, ſemper eſſet bonus, ſed deſeruit, & deſertus eſt. Tale quippe erat adjutorium, quod deſereret cum vellet, & in quo permaneret, ſi vellet, non quo fieret, ut vellet. Iterum dico: mirum ſi quæritur aliquid hac manifeſtatione liquidius? Adam habuit gratiam, qua oſtenderetur quid poſſet liberum arbitrium, non habuit qua oſtenderetur quid poſſet gratiæ beneficium: quippe adjutorium habuit, *quod deſereret cum vellet, & in quo permaneret ſi vellet, non quo fieret ut vellet.* Numquid oſtendi non poterat in ſtatu innocentiæ gratiæ beneficium: aut adjutorio non indigebat, ut vellet quod poſſet, qui ſine adjutorio Dei nec habuiſſet poſſe quod vellet? *Iſtam igitur gratiam non habuit primus homo, qua numquam vellet eſſe malus, ſed ſane habuit, in qua ſi permanere vellet, numquam malus eſſet. Sed hæc* (nimirum illa, quam non habuit, & quæ lætior tunc fuiſſet) *potentior eſt in ſecundo Adam. Prima enim eſt, qua fit ut habeat homo juſtitiam ſi velit, ſecunda ergo plus poteſt, qua etiam fit, ut velit.* Hæc, inquam ipſiſſima gratia, qua fieri poterat, ut homo in juſtitia permanere vellet, antequam caderet, quæ iccirco lætior tunc fuiſſet, adhuc potentior evadit poſt lapſum, ad ampliores in ſecundo Adam effectus extenditur: non enim modo fit, ut velit homo habere

Digitized by Google

bere juſtitiam, quod tunc ſat erat ad ſummam beatitudinis plenitudinem merito hujuſmodi voluntatis accipiendam: *ſed tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluptatem contraria concupiſcentem, quæ in eo felicitatis loco nulla erat, voluntate ſpiritus vincat*. Ac per hoc non minus imo multo evidentius adimpletur in hominibus, quod de hominibus pariter & Angelis *ſaluberrime confitemur, & rectiſſime credimus Deum ſcilicet ſic ordinaſſe* &c.

Tum etiam a communi omnium ſenſu.

XXIX.

MIrari profecto ſubit, fuiſſe noſtris hiſce temporibus, & eſſe adhuc non unum aut alterum, ſed nobiliſſima ingenia, doctiſſimos acutiſſimorum virorum cætus, qui non modo ſibi perſuaſerint, ſed multimodis conatibus ceteris etiam perſuadere contenderint, Adæ gratiam a D. Auguſtino lætiorem appellari comparatione potentioris. Auſerim dicere, tam turpis hallucinationis pœna plecti meruit noſtri ævi arrogans & ſuperba jactatio, ut qui ſcire omnia, omnia rimari diſcutere ac dijudicare inquieta magis & vana curioſitate, quam ſedula & pia moderatione præſumunt, in ipſo meridianæ lucis fulgore cæcutientes diſcant non plus ſape-

re quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem. Ergone ea demum erit ſecundum S. Auguſtinum gratia lætior, *qua etiam demonſtrata, eſt potentia liberi arbitrii?* Eane gratia lætior erit, cujus abuſus rigat obruitque a tot ſæculis orbem, ubertim nec intermiſſe manantibus omnium populorum lachrymis cujuslibet ætatis, ſexus, conditionis? Eane gratia, eane potentia (ut emphaticis Doctoris gentium de lege loquendi formulis utar, quibus non gratia ſed præſumptio deprimitur) lætior erit, quæ tot miſeriarum exundanti colluvie omnem terræ faciem operuit, replevit, oppreſſit? *Quæ rationales animas in teterrimæ noctis ac profundioris ignorantiæ denſiſſimas tenebras dejecit obvolvit, ac merſit? Eane lætior erit, qua univerſum hominum genus infinitis cupiditatibus erroribus terroribus doloribus diſtrahitur, illuditur, concutitur, diſcruciatur? qua per mortem naſcendo inchoatam propellimur in mortem nec moriendo claudendam? Equidem ſi hæc gratia lætior vocitatur, & eſt, quia, ut ajunt, in pleniſſima libertate linquebat arbitrium, & poterat inde lætari, cedant Poetæ Theologis. Quoniam quidem nullo unquam pacto ironicæ eorum hyperboles enormem adeo cient phantaſma-

* *Scrupuloſius forte quam par ſit iterum moneo, eo me ſenſu Adæ gratiam tot malorum cauſſam aſſerere, quo Eccleſia Adæ peccatum & neceſſarium, & felix & tanti boni meritum adſtruit.*

matum perturbationem, ac ea ſane eſt, quæ hujuſmodi cogitatione concipitur. Si gratia quæ fœdiſſimum luctuoſiſſimumque habuit exitum ex uno Adam in totam ab eo ſtirpem venientem lætior dici poteſt, quanto magis utique & incomparabiliter lætior erit gratia illa potentior, qua intra paucorum dierum gemitus eoſque quovis peccantium riſu ſuaviores, a ſempiterno fletu, & intolerabili dentium ſtridore liberatur arbitrium? Quanto ineffabiliter lætior ea erit, qua illi libertas omni libertate tanto liberior omni plenitudine ſupereffluens & coagitata confertur, ut non modo lætari poſſit ſe poſſe non mori, non miſerum fieri, non deſerere bonum (ut infra dicturi ſumus) ſed inenarrabili ſuperabundet gaudio; certiſſime ſciens ſe nec poſſe mori, nec miſerum fieri, nec bonum aliquando deſerere, cujus indefectibili poſſeſſione indefectibile ipſum erit indeficienter beatum? Si lætior dici illa gratia poteſt, cujus abuſu magnum illud immenſumque peccatum commiſſum eſt, quanto procul dubio lætior erit gratia illa potentior & incredibiliter lætior, cujus intuitu miro prorſus exultabunda præconio in ipſo tot ærumnarum pelago, inter ipſas tot preſſurarum anguſtias triumphali carmine pſallit Eccleſia,* & felicem buccinare non veretur & culpam?

Adam

* *Sabb. ſancto in Benedict. Cerei.*

Adam incapax eſt fletuum, quippe cujus lachrymas abſterſit ea gratia, quæ poſt lapſum potentior, ideo lætior profecto fuiſſet ſi habuiſſet antequam caderet, quia nullas habuiſſet lachrymas, quas abſtergeret. Sed ſi Adam expers eſt fletuum, & in ſempiterna lætitia eſt procul a gemitu: gemit, rugit, fremitque in Adam univerſum genus humanum, quod utique patienter ferre non prævalet moleſtiſſimam ſugillationem acerbiſſimi inſultus. At inquies, ergone funerea triſtis mala fuit illa gratia? Abſit. **Numquid lex peccatum eſt*, inquiebat Apoſtolus? *Abſit.* **Scimus*, ait, *quia bona eſt lex, ſiquis ea legitime utatur*, alioquin licet bonum ſanctum juſtumque ſit mandatum mortem operatur. Licet igitur bona illa prima, nec nulla fuerint certe nec parva, non ideo tamen lætiora erunt noviſſimis potioribus atque melioribus: imo noviſſima hæc ideo erunt ſane lætiora, quia potiora ſunt atque meliora: & quo longe potiora ſunt longeque meliora, eo etiam longe longiuſque lætiora.

Ex

* *Rom.* 7. 7.   * 1. *ad Timoth.* 1. 8.

Digitized by Google

Ex his quæ hactenus digeſta ſunt, fieri quæ conſequuntur mire perſpicua.

XXX.

HAnc comparationem, gratiam inter quam habuit Adam antequam caderet, in qua permaneret, ſi vellet, & eam quam non habuit, habuerunt autem Angeli ſancti, ut ſtarent; ideſt eam qua fieret ut vellet, quam cum reliquis e Prædeſtinatorum numero in ſecundo Adam poſt lapſum habuit longe lateque proſequitur, cum tam intima relatione eaque evidentiſſima ad illa, quæ hactenus expedivit, ut dicere non metuam, non modo ſumma cum perſpicuitate, verum etiam ſumma cum facilitate cuncta ad finem uſque duodecimi capitis, quod eſt tertium eorum, quæ in adjutorio Domini explananda ſuſcepimus, enucleatiſſime expandi. Verumtamen nequis arbitretur eſſe hanc meam calliditatis artem, ſubdolamque vafritiem, qua me difficultatibus ſubtraham, & ne turpiter terga dediſſe videar, honeſtiorem in modum receptui canam, veſtigiis ter beati Patris inhærere non deſinam ita ad amuſſim & unguem, ut cuique conſtet non eſſe hanc meam inanem pollicitationem, ſed demonſtratam, utique veritatem.

A ne-

Digitized by Google

A neceſſitate gratiæ potentiæ elici neceſſitatem gratiæ voluntatis.

XXXI.

NIhilo tamen minus vere & ex animo profiteri cogor, neſcire me undenam poſſit ulterius jactitata adjutoriorum diſtinctio fulciri, niſi forte adduci velit ad eam inſtaurandam, quod poſtquam dixerit S. Doctor de Adam: *Poſſet ergo permanere, ſi vellet, quia dederat ei adjutorium per quod poſſet, & ſine quo non poſſet bonum perſeveranter tenere quod vellet*, mox ait, *ſed quia noluit permanere, profecto ejus culpa fuit, cujus meritum fuiſſet ſi permanere voluiſſet, ſicut fecerunt Angeli ſancti, qui cadentibus aliis, per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi, & hujus manſionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam ſcilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certiſſimum ſit ſemper ſe in illa eſſe manſuros*. Video quidem conatum, quem loci hujus auctoritate freti gratiæ verſatilis vindices elicere præſumunt. At itidem video quam irrationabiliter id præſumant poſt ea, quæ tanta cum perſpicuitate, tanta etiam cum ſoliditate firmavimus. Et ſane ut diu ſupra diſcuſſimus, difficultas ex eo fieri nequit, quod libero tribuatur arbitrio refugarum lapſus ac ſanctorum perſeve-

ſeverantia Angelorum, perinde ac ſi eadem verſatili gratia, & a libero pendula arbitrio cadentibus aliis, alii non amplius adjuti in Veritate ſtetiſſent. Quoniam hoc poſito repetere non vereor in unum ſive in alterum horum ſcopulorum, ſeu magis in utrumque illidere neceſſe eſt; videlicet ut Angeli refugæ beneficii gratiæ participatione donandi ſint, eodemque ſancti fraudandi enormi adeo perverſione, horrendaque ut in ſanctis Angelis appareat ſine gratiæ beneficio liberi poteſtas arbitrii: in refugis autem beneficium gratiæ vix autem, imo ne vix quidem liberi poteſtas arbitrii. Sed ſi regula debet immobilis eademque inviolata perſiſtere, ut ineluctabiliter evicimus, neque per hoc quod Angeli refugæ refugiſſe dicuntur, & vere per liberum refugerunt arbitrium, eis adimitur gratia, qua poſſent, & ſine qua non poſſent permanere ſi vellent. Quæ gratia, quod *adjutorium ſi vel Angelo vel homini quamprimum facti ſunt, defuiſſet, quoniam non talis natura facta erat, ut ſine adjutorio divino poſſet manere, ſi vellet, non utique ſua culpa cecidiſſent. Adjutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent*. Cur per hoc quod dicitur, & veraciter dicitur, Angelos ſanctos per liberum arbitrium in veritate ſtetiſſe, adimere eis placeat adjutorium, quo oſtenſum eſt quid poſſet gratiæ beneficium: gratiæ, inquam, quæ

H dedit

dedit eis velle quod poſſent, ac non potius indubitanter colligimus, a neceſſitate gratiæ, qua daretur utriſque nempe ſanctis & refugis poſſe quod vellent, neceſſitatem utique gratiæ, quæ ſanctis donaret velle quod poſsent? *Quandoquidem ſaluberrime confitemur quod rectiſſime credimus, Deum Dominumque rerum omnium ſic ordinaſſe Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius oſtenderet, quid poſſet eorum liberum arbitrium, deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium juſtitiæque judicium.*

Cur dicatur in ſtatu innocentiæ plenitudo beatitudinis meritum *&* debita merces.

XXXII.

NEque vero quidquam ſolidius erui poteſt ex eo quod ait D. Auguſtinus: *Cujus meritum fuiſſet ſi permanere voluiſſet, ſicut fecerunt Angeli ſancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium ſteterunt ipſi, & hujus manſionis debitam mercedem recipere meruerunt.* Perinde ac ſi per hoc quod dicitur *meritum* & *debita merces* adſtrueretur gratia verſatilis in utriſque, adeoque præcantata adjutoriorum diſtinctio. Tametſi enim verum immo veriſſimum ſit, quod gratia gratiæ comparatur, gratia naturæ lapſæ & vitiatæ, gratiæ ejuſdem naturæ felicis & integræ, quin etiam intimiores earum differentiæ prodan-

Digitized by Google

dantur. Abſit ut ideo aut excludantur Angeli ſancti a gratiæ beneficio, quo ſancti ſunt, aut vel tantillum concutiatur ſaluberrima rectiſſimaque profeſſio. Libeat pauliſper mecum regredi & iterata ponderatione ſerio diſcutere, ſed ſi nec ſerio vel leviter attingere id, quod in fine X. capitis S. Doctor ajebat de Prædeſtinatis & Sanctis ex hominibus: *Quotquot*, inquiens, *ex hac ſtirpe Dei gratia liberantur a damnatione utique liberantur, qua jam tenentur obſtricti*. Illud etiam quod paucis abhinc lineis de gratia potentiore, quæ illis in hoc ſtatu conceditur, & qua oſtenditur quid ejus poſſit beneficium comparatione gratiæ illius, qua tantummodo oſtenſum eſt, quid poſſet liberum arbitrium, ubi ſic loquitur: *Hæc autem tanto major eſt, ut parum ſit homini per illam recuperare perditam libertatem, parum denique non poſſe ſine illa vel apprehendere bonum, vel permanere in bono ſi velit, niſi etiam efficiatur, ut velit*. Nulla diligentiori indigent trutina hæc verba, niſi ut vel obiter legantur, & protinus emicat manifeſtiſſima ratio, propter quam dicitur de Adam in ſtatu innocentiæ: *cujus meritum fuiſſet ſi permanere voluiſſet*: Et de Angelis ſanctis: *hujus manſionis debitam mercedem recipere meruerunt*. Aliud eſt in bono quod habes, eſſe in permanendi libertate ſi velis: Aliud eſt eſſe in juſta pecca-

ti pœna, & amiſſo bono ipſam permanendi libertatem amiſiſſe quantumlibet velis. Aliud eſt eſſe quidem ſine merito, verum etiam ſine crimine in bonis Creatoris: Aliud eſt inde cecidiſſe per crimen, quo fueras evectus per gratiam. Propter hoc itaque magnum conſiderabileque diſcrimen jure merito aſſeritur de Adam, quod in eo ſtatu, in quo conditus fuerat rectus, *ejus meritum fuiſſet ſi permanere voluiſſet, ſicut fecerunt Angeli Sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi, & hujus manſionis debitam mercedem recipere meruerunt*. Etenim in illo ſtatu recto non permanſiſſet, ſicut nec permanſerunt Angeli ſancti per arbitrium, Salvatoris gratia a damnationis pœna liberatum; ſed permanſiſſet ut ipſi per liberum gratia Conditoris arbitrium, nec culpabiliter lapſum ab ea rectitudine, in qua primitus conditus fuerat. Non ob aliud igitur ita diverſimode Vir ſolertiſſimus loquitur, niſi ad indicandam maximam illam differentiam, quæ intereſt arbitrium liberum & arbitrium liberatum; verumtamen abſit, ut ſive liberum ſive liberatum in ſeipſo ac non potius glorietur in Domino, aut quoquo modo nutet immota illa & inconcuſſa confeſſio, qua *ſaluberrime confitemur, quod rectiſſime credimus Deum* &c.

Nem-

Nempe ad indicandam veram ſtatuum non adjutoriorum diverſitatem.

XXXIII.

QUod ſi hoc illud eſt, quod apertiſſime colligitur ex his, quæ in antecedentibus digeſta ſunt, multo liquidius & apertius colligitur ex his, quæ in ſubſequentibus ſunt diſſerenda. *Si hoc adjutorium*, inquit, *vel Angelo vel homini quamprimum facti ſunt, defuiſſet, quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino adjutorio poſſet manere ſi vellet, non utique ſua culpa cecidiſſet.* Verumtamen hoc adjutorium, quo fiunt juſte damnabiles qui culpabiliter deſeruerunt, haud amplius quam quid poſſet liberum refugarum arbitrium, ac in illos quid juſtitiæ judicium poſſit, oſtendit. Sed ſi Angelorum refugarum ſit inexcuſabilis per hoc adjutorium a veritate in qua poterant permanere, defectio: Angelorum ſanctorum non in ſeipſis aut a ſeipſis quod in Veritate ſteterunt, ſed in Deo & a Deo ſitglorioſa permanſio. Siquidem qui largitus eſt ſanctis gratiæ beneficium, quo fieret ut ſtarent, non ſubtraxit ſed abunde conceſſit culpabiliter lapſis magnam quidem ſed diſparem gratiam, ſine qua non poſſent, & per quam poſſent permanere ſi vellent,

lent, non autem qua fieret ut vellent. Summe erga hos & ineffabiliter juſtus: Summe erga illos & ineffabiliter juſtus ſimul & miſericors, quibus præterea placuit largiri velle quod poſſent. Nunc vero hominibus in Adam & cum Adam lapſis juſteque damnatis illud ipſum poſſibilitatis adjutorium, quod integritati naturæ æquitatis debito erogabatur, propter originale illud magnumque peccatum factum eſt indebitum donum miſerationis & gratiæ. *Nunc* enim *quibus deeſt tale adjutorium jam pœna peccati eſt. Quibus autem datur ſecundum gratiam datur non ſecundum debitum, & tanto amplius datur per Jeſum Chriſtum Dominum Noſtrum, quibus id Deo dare placuit, ut non ſolum adſit ſine quo manere non poſſumus, verum etiam tantum ac tale ſit, ut velimus.* In illis igitur quibus deeſt, oſtenditur quid poſſit juſtitiæ judicium, quo juſte denegatur quod culpabiliter deſeruerunt. In eis autem quibus vel ipſa emergendi a damnationis malo & boni recipiendi qualiſcumque poſſibilitas datur, oſtenditur ex illis quibus non datur quam gratuito & miſericorditer detur per J. C. D. N., licet per eumdem D. J.C. intantum augeat ſua munera, quibus id donare placuit miſericors Deus, ut in eis præclariſſime & ineffabiliter eluceat gratiæ beneficium. *Eſt quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipien-*

Digitized by Google

piendo & perſeveranter tenendo non ſolum poſſe quod volumus, verum etiam velle quod poſſumus, quod non fuit in homine primo. Unum enim horum fuit alterum non fuit.

Continuatio ejuſdem argumenti.

XXXIV.

EN igitur quo pacto donum dono gratiam gratiæ adjutorium comparet adjutorio: Adjutorium quod Prædeſtinatis conceditur ei, quod primo homini datum fuit. Adjutorium quod habuit, & per quod habuit poſſe quod vellet, ei, quod illis ſervatur ex hominum numero, in quibus oſtenditur illud ipſum gratiæ beneficium, quod prius apparuerat in Angelis ſanctis, & per quod fit in utriſque velle quod poſſint. Iterare non piget: mirum ſi quæritur aliquid hac manifeſtatione liquidius; Quid non fuit in homine primo? *Iſtam gratiam non habuit primus homo, qua numquam vellet eſſe malus.* Quid eſt in nobis per hanc Dei gratiam? *Non ſolum poſſe quod volumus, verum etiam velle quod poſſumus. Unum horum fuit in homine primo*, poſſe nempe quod vellet: *alterum non fuit*, hoc eſt velle quod poſſet. Sibi imputet grave crimen nolendi quod poſſet, quodque tam facile poſſet, nulla rixa in ſeipſo adverſus ſei-

ſeipſum tentatus, atque turbatus quam facile vellet; at Deo deputent, qui Deo debent & poſſe quod volunt, & velle quod poſſunt. Crimen fuit Adæ adjutorium deſeruiſſe, quo poſſet permanere ſi vellet. Quod adjutorium, quæ gratia procul dubio magna erat, *qua etiam demonſtrata eſt potentia liberi arbitrii*. Non ideo tamen ignorent Angeli ſancti, quod non in ſeipſis aut in libero arbitrio, cujus potentia demonſtrata eſt in refugis, ſed in Deo gloriandum eis eſt, qui abundantiori præ ceteris charitatis dono oſtendit in ipſis quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium, & operatus eſt in eis meritum permanſionis plenitudinemque mercedis. Quod ſi rurſus objici vellet: *Ut quid ergo factum eſt donum gratiæ, quæ futura erat & homini ſicut facta eſt & Angelis ſanctis merces meriti*? Facile reſpondet SS. Doctor inquiens: *Nunc autem per peccatum perdito bono, merito* * *in his qui liberantur, factum eſt donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat*. Hoc bonum quod Adam corruente cum ipſo, in ipſo, & per ipſum amiſerunt homines, non amiſerunt Angeli ſancti: ac proinde longius diſtat ac prorſus a merito, qui eſt in merito & pœna peccati, qui bonum a quo perverſe receſſit & culpabiliter cecidit, gratiæ debet a qua recuperatur amiſſum, & qua etiam fit,

* *Vid. Notas in fine.*

ſit, ut non ſolum poſſit tenere ſi velit, verum etiam velit, ac tantum velit ut perſeverantiſſime teneat, ab eis quibus a bono in quo conditi fuerant, quod non ſuis meritis quidem, ſed bonitate ſui Conditoris acceperant, poterant tamen deficere & deſeruiſſe ſi vellent, ut nec velint, uberior miſericordia largitur.

Unde ſupra.

XXXV.

ISTud ipſum lucidiſſime adhuc, & pulcherrime exequitur præſtantiſſimus Doctor præclara illa diſtinctione, quam ob oculos ponit, & diligenter vigilanterque intuendam ſapientiſſime monet. *Quapropter*, inquit, *bina iſta quid inter ſe differant vigilanter & diligenter intuendum eſt: poſſe non peccare, & non poſſe peccare: poſſe non mori, & non poſſe mori: bonum poſſe non deſerere, & bonum non poſſe deſerere. Potuit enim non peccare primus homo, potuit non mori, potuit bonum non deſerere. Numquid dicturi ſumus, non potuit peccare, qui tale habebat liberum arbitrium?* En liberi præconium arbitrii. *Numquid dicturi ſumus non potuit peccare qui tale habebat liberum arbitrium?* An vero quia tale habebat liberum arbitrium, ut bene velle poſſet & male, ideo excluditur gratia illa haud

Digitized by Google

equidem parva, qua *demonſtrata eſt etiam potentia liberi arbitrii? Unum ergo horum habuit*, videlicet poſſe non peccare, non mori, bonum non deſerere, ac etiam peccando moriendo, bonum deſerendo oſtendit ſe quidem nolle quod poſſet, ſed poſſe quod vellet, ac per hoc quid poſſet liberum arbitrium. *Alterum non habuit*, nimirum non poſſe peccare, non poſſe mori, non poſſe bonum deſerere, quo etiam demonſtratur quid poſſit gratiæ beneficium, quod in Prædeſtinatis adimpletur & ſanctis, dum perſeverantiæ felicitate donatur liberum arbitrium eorum, & illa natura, quæ in Adam nimium culpabiliter lapſa juſta peccati pœna ipſam perſeverandi poſſibilitatem amiſerat. Numquid dicturi ſumus liberum arbitrium, quod a ſeipſo ne habuiſſet quidem poſſe quod vellet, hoc eſt poſſe non peccare, non mori; bonum non deſerere, a ſeipſo habiturum, quod incomparabiliter majus, quod ineffabiliter melius eſt, velle nempe quod poſſet, hoc eſt non poſſe peccare, non poſſe mori, non poſſe bonum deſerere? Ergone qui nec a ſeipſo perſeverantiæ poſſibilitatem habuit ſed a Gratia, a ſeipſo habebit perſeverantiæ felicitatem & non a gratia? Dicat iſta qui volet, nemo profecto credet tam deridicula prorſus & abſona, qui *ſaluberrime confiteatur, quod rectiſſime credit Deum ſic ordinaſſe* &c.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XII.

Gratiam voluntatis nec minuere gratiam potentiæ, nec excludere.

XXXVI.

DEinde tenore ac ſerie diſputationis mirum in modum copulata, ac ſibimetipſi concinnitate & acumine ſingulari indiſſolubiliter intertexta, duodecimum caput aggreditur. Et quaſi ei objici poſſet non quidem illud, quod ſupra objectum fuerat: *Quid ergo Adam non habuit gratiam?* Sed quod multo congruentius occurrere poterat, hoc eſt ſi Adam arbitrio ita libero ut bene velle poſſet & male, bonum deſerendo nil aliud quam quid poſſet, oſtendit, quæ gratia quale adjutorium fuit illud quo habuit tam miſere poſſe? continuo vigilantiſſime reponit: *Numquid quia erunt bona noviſſima potiora atque meliora, ideo fuerunt illa prima vel nulla vel parva?* Perinde ac ſi diceret, numquid nulla vel parva erat gratia qua habuit poſſe quod vellet, quia non habuit gratiam, qua fieret eum velle, quod poſset? Denuo igitur eo redit, ut ipſa adjutoria diſtinguat. *Aliud eſt*, inquiens, *adjutorium ſine quo aliquid non fit, aliud eſt adjutorium quo aliquid fit. Nam ſine alimentis*

non poſſumus vivere, nec tamen cum affuerint alimenta eis fit ut vivat, qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum eſt ſine quo non fit, non quo fit ut vivamus. At vero beatitudo quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit beatus. Adjutorium eſt enim non ſolum ſine quo non fit, verum etiam quo fit, propter quod datur. Quapropter hoc adjutorium, & quo fit eſt, & ſine quo non fit. Quia & ſi data fuerit homini beatitudo, continuo fit beatus, & ſi data numquam fuerit, numquam erit. Alimenta vero non conſequenter faciunt, ut homo vivat ſed tamen ſine illis non poteſt vivere. Primo itaque homini, qui in eo bono, in quo factus fuerat rectus acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere, datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet. Nunc vero ſanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis, non tantum tale adjutorium perſeverantiæ datur, ſed tale ut eis perſeverantia ipſa donetur, non ſolum ut ſine iſto adjutorio perſeverantes eſſe non poſſint, verum etiam ut per hoc donum non niſi perſeverantes ſint. Hoc documentum uberrimumque teſtimonium totum quantumvis prolixius tranſcribere non piguit, mirum enim ſi huic tantæ perſpicuitati vel a lippientibus contradicitur. Primus homo acceperat poſſe non peccare, non mori, bonum non de-

deſerere, datum eſt adjutorium perſeverantiæ non quo fieret ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet, alimentorum ad inſtar, ſine quibus homo non poteſt vivere, quibus tamen non fit conſequenter ut vivat, qui mori voluerit. *Ut non acciperet hoc donum Dei primus homo, ideſt in bono perſeverantiam, ſed perſeverare vel non perſeverare in ejus relinqueretur arbitrio, tales habebat vires ejus voluntas, ut digne tantæ bonitati, & benevivendi facilitati perſeverandi committeretur arbitrium.* Sibi ergo imputet, qui mori voluit, dum alimenta haberet, quibus tam feliciter faciliterque vivere poſſet, quam faciliter feliciterque voluiſſet. An vero voluiſſet ſine adjutorio quo fieret ut vellet? abſit. *Beatitudo enim quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit beatus. Adjutorium eſt enim non ſolum ſine quo non fit, verum etiam quo fit propter quod datur.* Hoc adjutorium, hoc donum, hæc gratia ea eſt, qua non quid poſſit liberum arbitrium, ſed quid gratiæ beneficium poſſit, oſtenditur. *Quia ſi data fuerit homini beatitudo, continuo fit beatus, & ſi data numquam fuerit, numquam erit.* Poſt adeo apertam tam veram tam firmam certamque definitionem ubi eſt quæſo verſatilis gratia, ubi jactitata adjutoriorum diſtinctio? Concuſſa diruta everſa contrita, projecta eſt. Per hoc enim

enim quod beatitudo ſi data fuerit homini continuo fit beatus, & ſi data numquam fuerit, numquam erit; manifeſtiſſime evincitur idipſum de Angelis ſanctis eſſe dicendum, eodemque adjutorii genere ſanctos Angelos ac ceteros homines perſeverantiſſime juſtos fuiſſe prædeſtinationis præparatione donatos, cujus fierent collatione plene certiſſimeque beati, adeoque impleretur in utriſque inacceſſum illud ſecretumque conſilium, quod edocti *ſaluberrime confitemur, ac rectiſſime credimus* &c.

Beatitudinem eſſe adjutorium ſimul & præmium.

XXXVII.

VErum non inepte intuendum cenſeo cum ſolide nequeat, quam lepide ſoleat eludi manifeſtiſſimæ auctoritatis ineluctabilis virtus. Quamquam enim tam apertis contexta ſit verbis, ut vel obtuſioribus conſtet, beatitudinem a D. Auguſtino adjutorium appellari, aut inficiantur fieri poſſe ut beatitudo ſit adjutorium, quandoquidem inquiunt meritum comparandæ beatitudinis beatitudo & merces ipſa præcederet; aut contendunt beatitudinem eatenus a D. Auguſtino adjutorium appellari, quatenus non viæ ſit adjutorium. ac proinde meritum, ſed lumi-

Digitized by Google

luminis gloriæ collatio, adeoque promeritæ non promerendæ beatitudinis ſit beatitudo ipſa adjutorium. At quoquo ſe vertant, non meis ſed B. Auguſtini verbis tam arcte irretiuntur, ut nullo prorſus pacto elabantur. *Beatitudo enim*, ait, *quam non habet homo, cum data fuerit continuo ſit beatus. Adjutorium eſt enim non ſolum ſine quo non ſit, verum etiam quo ſit propter quod datur.* Nam dubio procul ſi vel cum ipſis diſtinguantur adjutoria, ut ſervetur infirmæ quo ſana & integra non indiguit, hujuſmodi adjutorium non illud eſt, *ſine quo non ſit*, ſed illud plane *quo ſit propter quod datur*. At beatitudo ſecundum B. Auguſtinum non ſolum eſt adjutorium, ſine quo non ſit, verum etiam quo ſit propter quod datur. Conſtat igitur beatitudinem eſſe adjutorium non patriæ ſed viæ. Porro ſi data fuerit homini beatitudo, cum continuo fiat beatus, & ſi data numquam fuerit numquam erit, evigilent tandem tandemque perſpiciant non fuiſſe beatitudinem in ſtatu innocentis naturæ verſatilis gratiæ compendium, ſed in utroque ſtatu beatitudinem & beatitudinis pretium fuiſſe, & beatitudinis præmium adjutorium ſcilicet meriti, meritique mercedem. Quod ut adhuc dilucidius clareſcat ab ipſis verſatilis gratiæ aſſertoribus extorqueamus. Enimvero ſiquis ab eis ſciſcitaretur, utrum perſeverantiæ donum ſit adju-

to-

torium necne? reſponderent, puto, quod ſic. Iterum vero ſiquis eos interrogaret, an perſeverantiæ donum ſit non ulterius cadendi certiſſima ſcientia. Reſponderent itidem, puto, quod ſic. Quod ſi eiſdem ipſis moleſtus percunctator ingereret: Si perſeverantiæ adjutorium eſt non ulterius cadendi certiſſima ſcientia, per vos comparandæ beatitudinis meritum beatitudo ac merces ipſa præcedit? Reſponderent, ni valde fallor, perſeverantiæ donum non ſolum eſſe præmium adjutorii, verum etiam adjutorium præmii, ac per hoc adjutorium ſimul & merces, meritum ſimul & præmium. Adjutorium pretium meritum gratia ratione viæ ac vitæ quæ clauditur: merces præmium retributio corona ratione viæ ac Patriæ, quo pervenitur.

Adjutoria in ſtatu naturæ vitiatæ qua ſint ratione diverſa.

XXXVIII.

NEque vero ex eo quod ſequitur: *Major quippe libertas eſt neceſſaria adverſus tot tantaſque tentationes, quæ in Paradiſo non fuerunt, dono perſeverantiæ munita atque firmata, ut cum omnibus terroribus erroribus amoribus ſuis vincatur hic mundus*, aliud umquam erui rationabiliter pote-

poterit, niſi jacentibus imbecilliſque ſervari, quod rectus fortiſque non habuit, & illud ipſum quod vitiata & infirma natura pluribus ex titulis diverſiſque de cauſſis exquirit, ob id unum a ſana & integra expoſci; nempe ob illud inſcrutabile altumque ſecretum, quo voluntas aut inexcuſabiliter labitur, aut ſi permanet, non in ſeipſa, ſed in Domino habet gloriam, a quo habet, ut ſtet. Quoniam adorandum hoc neque veſtigabile ſacramentum quod prius apparuit in Angelis cadentibus aliis per liberum arbitrium, licet haberent adjutorium; ſine quo non poſſent, & per quod poſſent permanere ſi vellent, per quod etiam fit eorum inexcuſabilis lapſus: ſtantibus aliis per idem liberum arbitrium, ſed ampliori potentiorique adjutorio operante in eis velle quod poſſent, quo omnis liberi eorum arbitrii gloriatio evacuatur; Evidentius ſenſibilius, ac prope dixerim craſſius commendatur poſt hominis lapſum totamque in eo ſtirpem naturamque vitiatam. Liberum enim primi hominis arbitrium, quod tale fuit per gratiam Creatoris, quale decebat eſſe, ut plenum ſuarum virium daret experimentum, a ſeipſo in ſeipſo deficiens, vitii ſui ipſum ſibi culpabilis cauſſa & origo, in bono, in quo poterat permanere ſi vellet, noluit permanere cum poſſet. Quamobrem quia in uno eodemque ho-

mine oſtendi non poterat ſicut & in Angelis, quorum alii ceciderunt, ſteterunt alii, & in refugarum parte quid poſſet eorum liberum arbitrium, & in ſtantium parte quid poſſet gratiæ beneficium, tota hominis firmitate corruente per illud ipſum, quo firmari poterat ſi voluiſſet liberum voluntatis arbitrium, ſola remanſit infirmitas tanto amplioris indiga auxilii, quanto miſerrima fuit ipſa prolapſio. Hoc adjutorium* Salvatoris medicinalis eſt gratia qua reſtituitur iis omnibus, qui rationis uſum attigerunt illud ipſum quod amiſerunt, & per quod amiſerunt cetera cuncta hoc eſt liberum voluntatis arbitrium, qua illuminante & excitante valeant, ſi velint ad qualecumque boni ſalutaris initium a malo juſtæ damnationis, qua tenentur aſſurgere, tametſi in aliis plurimis id ulterius operetur, ut propoſitum bonum reapſe recipiant, in eoque poſſint permanere ſi velint: quæ tamen Gratia in paucis comparatione pereuntium, in ſuo vero numero multis id præterea ineffabili largitate operatur, ut in bono, quod per D. N. J. C. receperunt, non modo poſſint permanere ſi velint, *ſed ipſo donante invictiſſime velint nec hoc deſerere invictiſſime nolint. Tantum quippe Spiritu Sancto accenditur eorum voluntas, ut ideo poſſint, quia ſic velint ideo ſic velint, quia Deus in eis operatur, ut velint.*

At-

* *V. num. XLVIII.*

Attenta nimirum ſtatuum diverſitate.

XXXIX.

SCilicet quod uno eodemque experimento hinc Angeli refugæ juſte damnati, inde Angeli ſancti pleniſſimæ certiſſimæque beatitudinis mercede donati pulcherrime oſtendunt, cum appareat in refugis quid eorum potuerit liberum arbitrium: appareat in ſanctis quid potuerit gratiæ beneficium; per alternas vices demonſtratur in hominibus, qui non amplius ut Adam conditione liberi, ſed in ſecundo Adam liberati per gratiam, aut poſſunt a peccato & tenebris, quibus involuti jacent ſi velint exurgere; aut per eamdem gratiam accepta voluntate ſurgendi, & ipſa in bono erectione, in eo poſſunt permanere ſi velint, ac per hoc inter ipſas tot & tantas tentationes profecto ſua culpa cadat, qui noluit ſtare cum poſſet, ſua culpa vincatur, qui per Chriſti gratiam potuiſſet vincere ſi voluiſſet; unde etiam adhuc oſtenditur in his, qui pereunt, quid poſſit arbitrium per gratiam liberatum ad bonum & in bono, quod vel recipiendum rejiciunt, vel deſerunt receptum; tametſi iis, quibus Deo placuit, in tantum augeatur per eumdem Chriſtum ipſa libertas, ut largitate mirabiliter ineffabili,

fabili, aut ineffabiliter mirabili modo utique ſingulari in ipſis potiſſimum oſtendatur, quid poſſit Gratiæ beneficium: Gratiæ, inquam, quæ verius & magis proprie Gratia Salvatoris a D. Auguſtino appellatur. Placuit enim Deo, qui per Angelos refugas juſteque damnatos Angelicæ ſuperbiam præſumptionis extinxit, ut non glorietur omnis ſpiritus coram ipſo. Unde enim glorietur omnis ſpiritus coram ipſo niſi de potentia liberi arbitrii? At Angeli ſancti vident ac intuentur in refugis, quid eorum potuerit, quid ipſorum potuiſſet liberum arbitrium, niſi uberiori per Spiritum Sanctum data abundantia charitatis Dei cadere ulterius omnino non poſſent. Non ergo gloriatur omnis ſpiritus coram ipſo. *Placuit*, inquam, *Deo* iſtud ipſum ſaluberrimum altiſſimumque conſilium demonſtrare in hominibus, *quo maxime humanæ ſuperbiam præſumtionis extingueret, ut non glorietur omnis caro, ideſt omnis homo coram ipſo.*

Ac multiplici præ Angelis hominum exigentia.

XL.

ETenim homo non in Myriadum millibus ut Angeli, ſed conditus in unius ſingularitate perſonæ, a qua velut a trunco humanum genus longe lateque diffunderetur, non ex

par-

parte cecidit, ſtetit ex parte, ut in parte cadente oſtenderetur, quid poſſet liberum arbitrium, in ſtante quid poſſet gratiæ beneficium, ſed totus in toto cecidit, nec tam culpabilis caſus quidpiam aliud oſtendit, quam quid poſſet ejus liberum arbitrium. Proinde ipſi, & iis qui per ipſum, in ipſo, & cum ipſo ceciderunt *non reſtat niſi gratia Salvatoris*. Quæ quidem, ut dixi, iis, qui rationis ſunt compotes dat adjutorium ſine quo non poſſent convaleſcere, licet vellent, & quo poſſunt in aliquod boni ſalutaris initium reſpirare, ſi velint, quod adjutorium niſi deſererent, ad majora boni incrementa per eamdem Chriſti gratiam proveherentur: alios vero eadem per Chriſtum gratia erigit in bono quidem mediocri & parvo ratione amplioris, quod habuit homo primus, ſed in ſeipſo magno valde immo maximo, & hæc eſt juſtificatio temporalis, ideo vero temporalis, quia habentes adjutorium, ſine quo non poſſent in ea permanere, etiamſi vellent, nolunt permanere cum poſſint. Denique in Prædeſtinatis & Sanctis eadem per Chriſtum gratia operatur ut velint, ita ſane, *ut qui non perſeverabunt niſi poſſint & velint, eis poſſibilitas & voluntas gratiæ largitate donetur*. Quapropter fit omni manifeſtatione liquidius, quod *ſaluberrime confitemur, & rectiſſime credimus Deum* &c.

Un-

Unde potiſſimum ſeu relativa gratiæ ſeu abſoluta ſtatuum diverſitas patet.

XLI.

NEc obeſt hucuſque dictis quod ait præſtantiſſimus Doctor: *Nunc vero poſtquam eſt illa magna peccati merito amiſſa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remanſit infirmitas.* Quaſi inde elici poſſit, aut ideo magnam fuiſſe Adæ libertatem, quia verſatili gratia præditus erat, aut nullam eſſe in infirmitate boni libertatem, niſi majoribus donis adjuvetur infirmitas, ac per hoc in iis ſolummodo reperiatur libertas, quibus gratia largitur ut velint. Tantum enim abeſt, ut hæc abſurdiſſima ex hoc D. Auguſtini loco elici queant, quin potius nihil hic agat ulterius, quam ut libertatem libertati conferat, eamque non modo impiorum, & juſtorum temporalium, ſed ipſiſſimam Sanctorum libertatem cum Adæ comparet libertate: quæ quidem ut pote in infirmitate majoribus donis adjuvanda, in qua tamen infirmitate perfici virtutem propter elationem reprimendam oportebat, longe diſtat a magna illa libertate, quæ lætiore tunc non potentiore gratia indigebat, qua ſolummodo efficeretur, ut vellet, *non ut tantum vellet, tantoque ardore diligeret, ut carnis volu-*

Digitized by Google

voluptatem contraria concupiſcentem voluntate ſpiritus vinceret &c. Ex qua ſane victoria potiſſima & veriſſima adjutoriorum diſtinctio cenſetur. Revocetur memoria, ſi libet, ad elegantiſſima illa antitheta: *Ille in bonis . . . . ſancti in malis* &c., & illico apparebit, cur magnam peccati merito amiſſam dixerit libertatem. Magna profecto libertas *ſine ullo mortis & infelicitatis experimento accipere poſſe illam merito permanſionis beatitudinis plenitudinem, qua ſancti Angeli ſunt beati*. Numquid ab hoc mortis & infelicitatis experimento eximuntur ſancti in hac vita? aut ullus eſt homo qui vivet & non videbit mortem? Magna profecto libertas *poſſe non peccare, non mori, non deſerere bonum*. At quid habet huic ſimile vel ipſa Pauli in Chriſto libertas, qui ſentit aliam legem in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ, & ipſum captivantem in lege peccati: qua fit, ut non hoc, quod vult, faciat bonum, ſed illud, quod non vult, agat malum: qua fit, ut conſtanter affirmet, ſcio quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea bonum: qua fit, ut miſerabiliter clamet, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Magna profecto libertas in illo felicitatis loco tam facile quam feliciter in voces laudis & gratiarum actionis ſi velis erumpere, in voce exultationis & confeſſionis ſonum

epu-

epulantis emittere. At quid huic ſimile in valle plorationis & fletus, ubi nonniſi ploratus & ejulatus multus, ubi nonniſi indigentia & paupertas, infirmitas & miſeria? ubi antequam comedam, ſuſpiro: & ſi comedero, fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte: ubi tædet animam meam vitæ meæ, adhæſit lingua mea faucibus meis, oculi mei languerunt præ inopia, & lumen oculorum meorum & ipſum non eſt mecum: ubi putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ a facie inſipientiæ meæ, miſer factus ſum & curvatus ſum uſque in finem, tota die contriſtatus ingrediebar, quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, non eſt ſanitas in carne mea a facie iræ tuæ: & alia ſexcenta, ubi non aliud ſupereſt tot miſeriarum levamen, niſi in ſpiritu contribulato, in corde contrito & humiliato gemitu irrugiente repetere, ac ſine intermiſſione iterare: Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? ſpera in Deo. En germanam libertatum diverſitatem, & adjutoriorum genuinam differentiam. Numquid quia verſa eſt in luctum cythara noſtra, vel ipſum luctus ſonum edere non valemus? aut ſi ejus eſt inexcuſabilis culpa, qui præ copia noluit laudare cum poſſet, immunis erit a culpa, qui præ inopia cum poſſit vel clamare non clamat?

Na-

Digitized by Google

Natura lapſa libero arbitrio dimiſſa pronior in lapſum.

XLII.

NEque tamen inficior, quod vere & graviter de ipſis Prædeſtinatis & Sanctis in Chriſto Jeſu ſubdit B. Doctor: nimirum quia *ſi ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio, ſine quo perſeverare non poſſent, manerent ſi vellent, nec Deus in eis operaretur, ut vellent, inter tot & tantas tentationes infirmitate ſua voluntas ipſa ſuccumberet, & ideo perſeverare non poſſent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut poſſent.* Conſtat enim per hæc verba non eis veram perſeverantiæ poſſibilitatem ullatenus ſubtrahi; ſed illud tantummodo manifeſte ſignificari, idipſum quod contigit in primo homine eventurum proclivius in ceteris, & in utroque ſtatuum, id unum oſtenſum iri, ideſt quid poſſit arbitrium tunc conditione liberum, nunc gratia liberatum, eoque certius tot & tantarum tentationum mole ingruente caſurum, quo libentius nullo impellente procubuit. Jure igitur merito *ſubventum eſt*, ait, *infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur*, ut quæ fortis & recta in ſeipſam a ſeipſa decli-

navit, & turpiter ſuperata eſt, gratiæ beneficio erigente, roborante ſtatuente, licet invalida & imbecilla nec in ſeipſa deficeret, nec adverſitate aliqua vinceretur. Ac proinde pulcherrimum illud altiſſimumque conſilium divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, inſcrutabilia quoque judicia, & inveſtigabiles viæ ejus in hominibus pariter ac in Angelis complerentur, & peræque de utriſque ſaluberrime confiteremur, quod rectiſſime credimus, *Deum Dominumque rerum omnium ſic ordinaſſe* &c.

Beneficium gratiæ in ſtatu innocentiæ ex eodem beneficio in ſtatu corruptionis evinci.

XLIII.

QUia vero loci hujus auctoritas ſurſum deorſum ſiniſtrorſum dextrorſum quaquaverſum a verſatilis Gratiæ patronis ad crambem uſque verſatur, perinde ac ſi ea tantummodo eſſet gratiæ ſeipſa efficacis exigendæ ratio cauſſa & origo, nempe naturæ infirmitas, ac totius ſtirpis in Adam hoc eſt in maſſa damnatæ corruptio, tantiſper immorandum cenſeo huic quantumvis ſæpius profligatæ objectioni. Itaque inquiunt: En veram efficacis gratiæ originem a D. Auguſtino indicatam. *Subventum eſt*, ait, *infirmitati voluntatis humanæ*,

ut Divina Gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur. Fortiſſimo dimiſit, atque permiſit facere quod vellet, infirmis ſervavit, ut ipſo donante invictiſſime quod bonum eſt, vellent, nec hoc deſerere invictiſſime nollent. Moleſte quidem me ferre confiteor quæſtionem crebro ac manifeſte eliquatam ex his quæ hactenus peregimus, iterum iterumque recoqui. Attamen eadem mihi ſcribere non pigrum, dummodo conticeſcat inverecunda regeſtio. Quid enim indubie certius aptius expreſſius ad hanc retundendam cavillationem, quam illud quod hujus diſquiſitionis initiis B. Doctor affigit? Etenim ne a ſolius maſſæ perditionis exortu, gratiæ neceſſitatem deſcendere quis inepte contenderet, ad hujuſmodi inſtantiam ſaluberrime rectiſſimeque conſtituit, Deum Dominumque rerum omnium *ſic ordinaſſe Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius oſtenderet, quid poſſet eorum liberum arbitrium deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium juſtitiæque judicium.* Quæ hic quæſo maſſæ perditionis ac humanæ poſt lapſum infirmitatis ratio? Nonne videt quicumque præjudicatæ opinionis velamine non obtegitur, ac prorſus obtunditur, hanc ab ipſa Angelorum hominumque natura neceſſitatem palam ac manifeſte deduci, nec hoc eſſe a Redemtoris diſpenſatione proveniens, ſed ipſius Conditoris altum inſcrutabileque conſilium.

Digitized by Google

Ipſe quidem qui Reparator & Conditor ipſe Redemtor ipſe Creator, ipſe denique luti ſui Reſtitutor & figulus. Verum Conditor Creator Figulus operis integri ſani rectique: Reparator autem Medicus Reſtitutor ejuſdem operis vitiati infirmi confracti. Qui medelam præſtat infirmo ut convaleſcat: ipſe validum præſervat a morbo, quod utrumque oſtendit in Angelorum hominumque natura, illos gratiæ ſuæ beneficio continendo ne caderent, hos eodem gratiæ ſuæ beneficio redintegrando poſt caſum. Qui ex maſſa corrupta ac vaſis contumeliæ vaſa miſericordiæ Reparator inſtaurat. Idem ex nihilo Conditor vaſa miſericordiæ quæ præparavit in gloriam a vaſis contumeliæ, quæ non ipſe quidem effecit, ſed ipſa ſe ab eo recedendo fecerunt, & quæ juſte ordinavit in pœnam, gratiæ ſuæ beneficio ac largitate diſcrevit. Hoc illud eſt, quod ex ipſa trium horum capitum pulcherrima connexione reſultat, ſive dum S. Doctor illam præoccupavit inſtantiam: *Quid ergo Adam non habuit gratiam?* Sive dum lætiore tunc indiguiſſe, etſi nunc indiget potentiore, monſtravit. Hoc inde conſtat, ubi ait, *Iſtam gratiam non habuit homo primus, qua numquam vellet eſſe malus*: hoc inde iterum, ubi adjutoria ipſa diſcriminans, *unum horum fuit*, inquit, *alterum non fuit* &c. Numquid quia magnum Pietatis Sacramentum

com-

Digitized by Google

commendatur in homine, & ubi abundavit delictum mirabili diſpenſatione gratia ſuperabundaſſe docetur, ne delictum abundaret in Angelis gratia defuiſſe contenditur? Cur non potius alterum metimur ex altero, & cum S. Doctore ſaluberrime confitemur, quod rectiſſime credimus ſic Deum ordinaſſe Angelorum hominumque naturam, ut in his abundante delicto ſuperabundaret & gratia, in illis ne abundaret delictum, ſuperabundaret & gratia?

Excutitur locus e cap. 7. lib. de Don. perſev. depromtus.

XLIV.

SUpereſt adhuc locus ex ipſo D. Auguſtino petitus, ſed alio libro, nempe de dono perſeverantiæ cap. 7., quem ſane ne cui ſcrupulum moveat, moramve ullam faciat, aut objici a quoquam jure poſſit, qua fieri queat brevitate diluendum reor. Quamquam enim liceret nec immerito ei legitime præſcribere, tum ſi dicerem meæ pollicitationis ac muneris eſſe ad examen revocare D. Auguſtini mentem, quæ tribus hiſce capitulis continetur, nec quidquam præterea mihi rite opponendum, quod inde non eruatur; idque tanto fortaſſe æquius exigerem, quanto modeſtius ipſe a creberrimis aliorum libro-

Digitized by Google

brorum documentis abſtinui, quæ ad meam interpretationem uberrime pleniſſimeque firmandam coacervare facile potuiſſem. Tum etiam ſat mihi ſuperque eſſet illud recantare, quod ipſi regerunt, quoties contra verſatilem gratiam hujuſmodi documenta exeruntur. Liceret adhuc objectores rejicere ad ea, quæ identidem hucuſque retractavi, ut fortiora ac ipſis in ſpeciem favorabiliora teſtimonia diſſolverem, ubi non ſemel, ſed bis terque perſpicue meo quidem arbitratu abſoluteque reſpondi. Demum illud etiam cum S. Doctore refricare ſufficeret, nec poſſe me nec debere compertiſſimam ſaluberrimamque veritatem deſerere, propter aliquam occurrentem difficultatem, quam fortaſſis enodare non valeo; nec niſi ineptiſſime fidei præclariſſimam formulam ad textus ambiguitatem ex altero libro decerpti detorquendam præſumi. Verumtamen quia aut ſola aut ferme ſola inter omnia D. Auguſtini Opuſcula auctoritas eſt, qua maximopere fulcire conentur fatiſcentem hanc opinionem, ad tollendam omnem dubitationem eam eliquare ac enodare tentabo, quo ſeu tardioribus ſeu moroſioribus morem geram. *Qui non infertur in tentationem*, ait D. Auguſtinus, *non diſcedit a Deo. Non eſt hoc omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc ſunt; fuerat in homine antequam caderet. Quæ tamen libertas voluntatis*

in il-

Digitized by Google

in illius primæ conditionis præſtantia quantum valuerit, apparuit in Angelis, qui Diabolo cum ſuis cadente in Veritate ſteterunt, & ad ſecuritatem perpetuam non cadendi, in qua nunc eos eſſe certiſſimi ſumus, pervenire meruerunt. Poſt caſum autem hominis nonniſi ad gratiam ſuam voluit Deus pertinere ut homo accedat ad eum, neque niſi ad gratiam ſuam voluit Deus pertinere, ut homo non recedat ab eo.

Hunc locum doctrinæ hactenus explicatæ mirum in modum cohærere.

XLV.

QUi hoc ut ceteris loco in ſuæ ſententiæ patrocinium abutuntur, illud præſertim inde ſe elicere profitentur arbitrii libertatem fuiſſe æqualem in omnibus ac proinde gratiam, eodemque adjutorii genere ſanctos & refugas Angelos hominemque in ſtatu innocentiæ fuiſſe donatos. Quis hinc dubitet, quis hoc neget? At non ideo ſequitur ſtantes Angelos ſine ampliori adjutorio ſtetiſſe. Aliud eſt libertas voluntatis, hoc eſt poſſe quod velis: aliud eſt voluntas libertatis, hoc eſt velle quod poſſis. Eadem fuit in omnibus libertas voluntatis; ac per hoc quoad eamdem libertatem voluntatis, par ac eadem in omnibus gratia, indubium ac veriſſimum eſt:

ſed

ſed non in omnibus fuit eadem voluntas libertatis, quæ fuit in Angelis ſanctis, ergo nec eadem in omnibus gratia; hoc pariter indubium ac veriſſimum eſt. Ut autem hoc magis magiſque clareſcat, diſcutiamus B. Auguſtini textum. *Qui non infertur*, inquit, *in tentationem non diſcedit a Deo*. En arbitrium arbitrio collatum, arbitrium integrum ſanum fortiſſimumque arbitrio ſaucio corrupto imbecillimoque. Unde hoc liquet? Ex eo quod ſubdit: *Non eſt hoc omnino in viribus liberi arbitrii quales nunc ſunt:* proſtratæ depulſæ contritæ: jacemus enim in damnatione & pœna peccati, ubi tentatio militia malitia eſt vita hominis ſuper terram: ſed unde decidimus? docet Auguſtinus inquiens, *Fuerat in homine antequam caderet*. Quod ſi reponas, unde hoc ſcimus, & quis indicet ex tanta nos decidiſſe excellentia, ut nullis prorſus eſſemus tentationibus obnoxii? Homo qui cecidit? Sed quis novit utrum ſponte, an tentatione impellente corruerit? Angeli refugæ? Sed illud ipſum quod de homine licet interrogare de refugis. Unde ergo ſcimus tale olim fuiſſe, qualis nunc prædicatur liberi poteſtas arbitrii, ut nullis poſſet tentationibus concuti? Ecce quomodo ſolertiſſimus æque ac Sanctiſſimus Vir id evidenter oſtendit, inquiens: *Quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præſtantia, quantum valuerit,*

Digitized by Google

luerit, apparuit in Angelis, qui Diabolo cum ſuis cadente in Veritate ſteterunt, & ad ſecuritatem perpetuam non cadendi, in qua nunc eos eſſe certiſſimi ſumus, pervenire meruerunt. Profectò enim non aliunde ſcimus hujuſmodi fuiſſe liberi arbitrii præſtantiam, ut nulla tentatione quaſſante fortiſſimo dimitteretur atque permitteretur facere quod vellet, valeretque nec mori, nec miſerum fieri, nec deſerere bonum ſi vellet; quam ex illis, qui ſine ullo tentationis defectus aut infelicitatis experimento, ad illam beatitudinis plenitudinem pervenire meruerunt, ut nec poſſint amplius tentationibus concuti, miſeri fieri, bonumve deſerere. Aliud itaque eſt iterum dico libertas voluntatis bonis maliſque communis: aliud eſt voluntas libertatis, quæ bonos diſcrevit a malis: Aliud eſt perſeverantiæ poteſtas in illius primæ conditionis præſtantia refugis ſanctiſque communis: aliud eſt perſeverantiæ felicitas, quæ ſanctos diſcrevit a refugis. Ibi eadem in cunctis eſt gratia, ubi eadem eſt voluntatis libertas, perſeverantiæque poteſtas: ſed in quibus eſt voluntas libertatis ac perſeverantiæ felicitas, tanto procul dubio amplior eſt gratia, uberiuſque beneficium, quanto longius diſtat ab evitabili miſeria immutabilis ipſa felicitas. Deinde ait S. Doctor: *Poſt caſum autem hominis nonniſi ad gratiam ſuam voluit Deus pertinere,*

ut homo accedat ad eum. Et hoc eſt decidiſſe ab illius primæ conditionis præſtantia. *Neque niſi ad gratiam ſuam voluit Deus pertinere, ut homo non recedat ab eo*. Et hoc eſt quod non habuit illius primæ conditionis præſtantia. Non indigebat primus homo adjutorio, quo accederet, quia ille in illis bonis, quæ non ſuis meritis, ſed bonitate ſui Conditoris acceperat, poterat permanere, ſi vellet. At non habuit adjutorium, quo fieret, ut vellet. *Unum enim horum in illo fuit, alterum non fuit*. En veram obviam germanam loci hujus explicationem, nec quolibet conatu fieri umquam poterit, ut eo evincatur verſatilis gratia, excludaturque gratiæ beneficium, quo fit in eis velle quod poſſint, quibus conditionis præſtantia dederat poſſe quod vellent.

Recapitulatio.

XLVI.

DEmonſtratur itaque in Prædeſtinatis ad Regnum Dei, quid poſſit gratiæ beneficium, dum non id modo donum Salvatoris operatur in eis, ut poſſint a tenebrarum caligine, & peccatorum nigredine mundari & emergere, ac juſtitiam recipere bonumque ſi velint, ſed efficit ut inde reipſa eruantur & liberen-

rentur. In quo quidem ab Angelis itidem & Adam in innocentiæ & integritatis ſtatu conſtitutis, hoc eſt in bonis quæ bonitate Conditoris acceperant porro & prorſus diſtant, quorum nulli hoc coadjutorio indigebant. Deinde illis juſtificationis & ſanctitatis bonum impertitur, cum coadjutorio ſine quo non poſſint in recepto bono permanere etiamſi velint, & per quod poſſint permanere ſi velint; in quo pulchre conveniunt cum Angelis pariter & Adam. Denique operatur in eis, ut bonum quod receperunt inviciſſime velint, nec hoc deſerere ipſo donante inviciſſime nolint: in quo rurſus diſcrepant ab Adam & Angelis refugis, & ſingulari cum Prædeſtinatis ex Angelis parilitate conveniunt.

Synopſis trium capitum.

XLVII.

LIquet ergo ex his quæ hactenus diſputavimus, B. Auguſtinum cap. X. ab ipſo quæſtionis exordio verſatili gratiæ, adeoque prætenſæ adjutoriorum diſtinctioni nuntium remittere. Facilis enim fuiſſet hoc pacto reſponſio, immo nec quæſtio. Sed firmiter defixo ſaluberrimo rectiſſimoque Fidei Sacramento temeritati ac præſumtioni curioſitatis humanæ velut obicem ac metas ponere, pulcherrime oſtendendo

trifariam illam partitionem manifeſte adimpletam in Angelis, dum & quid poſſet eorum liberum arbitrium apparuit in refugis, & quid poſſet gratiæ beneficium apparuit in ſtantibus, & quid poſſet juſtitiæ judicium in utrorumque alternante ſeu pœna ſeu præmio. Idipſum quod in refugis adimpletum docet in hominis lapſu, & totius ſtirpis in ipſo peccantis damnatione juſtiſſima, a qua quicumque liberantur gratiæ beneficio liberantur. Verum quia diverſimode adimpletur in hominibus quod adimpletum docuerat in Angelis ſanctis, dum per idem gratiæ beneficium, quo ſteterunt ſervante ne caderent, lapſi homines eriguntur poſt caſum, ac iccirco facile putari poterat omnimoda deſtitutus gratia, qui ſolummodo cecidit, & in quo ex toto corruente gratiæ beneficium locum non habuit, huic cogitationi Cap. XI. vigilantiſſime occurrit Sanctiſſimus Doctor, monetque habuiſſe quidem primum hominem gratiam nec parvam immo vero magnam, ſed diſparem illi, qua oſtenditur, quid poſſit quod vere proprie ac ſingulariter gratiæ beneficium appellat. Prima gratia oſtenſum eſt quid poſſet liberum arbitrium: Secunda vero plus poteſt, ac ſuum ipſamet explicat beneficium minus utique lætum ac fuiſſet in illo beatitudinis loco, fuitque in Angelis ſanctis, ſed adhuc multo potentius inter tot & tantas

ten-

Digitized by Google

tentationes a quibus eruuntur per ſecundum Adam illi quibus miſericorditer datur. Verumtamen quia gravior adhuc querela ſupererat de gratia nempe illa, qua demonſtrata eſt potentia liberi arbitrii, quaſi fuiſſet ſolius nominis gratia, reapſe vero vel nulla vel parva, docet cap. XII. nec nullam fuiſſe nec parvam, ſed eam qua decebat adjuvari hominem ſanum integrum fortiſſimumque, ut plenum ſuarum virium daret experimentum alimentorum ad inſtar, quibus non fit quidem ut vivat, qui mori voluerit, ſed ſine quibus vivere nequit etiam qui mori noluerit. Per eam igitur homini præſtabatur poſſe quod vellet, non præſtabatur velle quod poſſet, quod utrumque præſtatur prædeſtinatis & ſanctis, ut ſive Angeli ſive homines de ipſa perſeverantia boni non in viribus ſuis, ſed glorientur in Domino, qui ſaluberrimo inſcrutabilique conſilio *ſic ordinavit Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius oſtenderet, quid poſſet eorum liberum arbitrium, deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium juſtitiæque judicium.*

Digitized by Google

Quo pacto aſſeratur gratia ſufficiens juxta mentem D. Auguſtini.

XLVIII.

HÆc eſt meo quidem arbitratu D. Auguſtini per tota hæc tria celeberrima capita germana mens: certoque certius confido eamdem liquido conſtituram; prout eam Domino donante digeſſimus, cuicumque illam ſine partium ſtudio, & anticipatæ ſententiæ nubilo diligenter intueri conſilium ſit. Attamen quia facile fieri poſſe reor, ut ſit, cui forſitan videar, licet tam ſerio profeſſus fuerim me indivulſe, ac ea qua par eſt fidelitate inhæſurum S. Doctoris verbis ſenſui animique propoſito, nihilo tamen minus hanc meam pollicitationem prætergreſſus fuiſſe, & datam haud leviter violaſſe fidem, etſi non alibi, ut puto, ibi certe, ubi quaſi a me ipſo dicere audeo, non modo abſque ullo Beati Patris teſtimonio, quo innitar, verum etiam contra apertiſſimam maximi Viri auctoritatem, ubi inquam, dicere non vereor, Salvatoris gratiam in iis omnibus qui rationis uſum attigerunt, reſtaurare illud ipſum quod amiſerunt, & per quod amiſerunt cetera cuncta, liberum ſcilicet voluntatis arbitrium, ut ea illuminante & inſpirante valeant ad qualecum-

que

Digitized by Google

que boni ſalutaris initium a malo juſtæ damnationis, qua in Adam tenentur, aſſurgere: quo fit ut admittam in omnibus generatim hominibus, iis ſaltem ratione pollentibus generalem poſſibilitatis gratiam & adjutorium *ſine quo non*: quod procul dubio non modo D. Auguſtini menti non conſonat, ſed ejuſdem auctoritati potius manifeſtiſſime contradicit; ait enim de hoc ipſo adjutorio: *nunc autem quibus deeſt tale adjutorium jam pœna peccati eſt*. Non poſſum facere, quin me ab hujuſmodi moleſtiſſima inſimulatione defendam. Quod ut commode contingat, amplioris etiam, ſi fieri poſſit perſpicuitatis gratia, ad ea, quæ jam peracta ſunt, neceſſarium duco, egregium graviſſimumque ſequentis capitis paragraphum, ſive articulum addere, in quo, ni valde fallor, brevi compendio contrahitur tota B. Viri doctrina, ad diſpenſationem & œconomiam Gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ elegantiſſime demonſtrandam, unde etiam uberrimam apologiam decerpturum me eſſe confido.

Con-

Digitized by Google

Contrahitur cap. XIII doctrina & paragraphus expendendus excerpitur.

XLIX.

POſtquam igitur decrevit numerum Prædeſtinatorum ita certum eſſe, ut nec addatur eis quiſquam, nec minuatur ex eis; idque plurimis ſanctarum ſcripturarum teſtimoniis palam conſtare; quæ quidem ſacræ paginæ paſſim alloquentes eoſdem Prædeſtinatos, quaſi incertum proferunt, quod occultum eſt, quia non aliter hoc audiendum eſt ab illis, quibus expedit non altum ſapere, ſed timere, & ſaluberrimo timore vitium elationis opprimere. Poſtquam inconcuſſe ſtabilivit vitam æternam eſſe miſericordiam & Gratiam, quia etiamſi bonis operibus debita reddatur, nil tamen aliud eſt quam Gratia pro Gratia, ideſt pro his meritis, quæ contulit gratia, progreditur inquiens: *Hi vero qui non pertinent ad iſtum prædeſtinatorum numerum, quos Dei gratia, ſive nondum habentes ullum liberum ſuæ voluntatis arbitrium, ſive cum arbitrio voluntatis, ideo vero libero, quia per ipſam gratiam liberato, perducit ad Regnum. Hi ergo qui non pertinent ad iſtum certiſſimum & feliciſſimum numerum pro meritis juſtiſſime judicantur: Aut enim jacent ſub peccato, quod originaliter*

de

de generatione traxerunt, & cum illo hæreditario debito hinc exeunt, quod non eſt regeneratione dimiſſum. Aut per liberum arbitrium alia inſuper addiderunt; Arbitrium, inquam, liberum, ſed non liberatum, liberum juſtitiæ, peccati autem ſervum, quo volvuntur per diverſas noxias cupiditates, alii magis, alii minus, ſed omnes mali, & pro ipſa diverſitate diverſis ſuppliciis judicandi: Aut gratiam Dei ſuſcipiunt, ſed temporales ſunt, nec perſeverant, deſerunt & deſeruntur. Dimiſſi enim ſunt libero arbitrio, non accepto perſeverantiæ dono, judicio Dei juſto & occulto.

Et ex eo 4. animadverſiones eliciuntur.

L.

EX quo præclaro teſtimonio liquido colligi poſſe reor, quatuor has animadverſiones S. Doctoris menti omnimode conſentaneas: 1. Nimirum illos, qui nondum habentes liberum ſuæ voluntatis arbitrium per Dei gratiam perducuntur ad Regnum, evidentiſſime oſtendere, quam gratuito & miſericorditer agatur erga alios, quos eadem Dei gratia cum libero arbitrio, ideo vere libero, quia per ipſam liberato perducit ad Regnum. Porro in triplici diſcrimine eorum, quorum alii jacent ſub peccato, quod originaliter de generatione traxerunt, &

cum illo hæreditario debito hinc exeunt, maniſeſte. 2. Itidem ac evidenter oſtendi, quid meruerit univerſa conſperſio, & quam indebitum quamque gratuitum ſit illud ipſum adjutorium, ſine quo non poſſumus in qualecumque boni ſalutaris exordium a malo juſtæ damnationis emergere; quo etiam fit liberum in cunctis ratione pollentibus ad bonum recipiendum voluntatis arbitrium, a quo qualicumque bono poſſent, ſi vellent gradatim ad perfectam ac pleniſſimam juſtificationis conſecutionem pervenire, novas ſubinde vires gratia miniſtrante profectui. 3. Ex illis, qui per liberum arbitrium alia inſuper addiderunt, liberum ſed non liberatum, liberum juſtitiæ peccati autem ſervum ſervitute non violenta ſed voluntaria, liquido quoque confici, quam ſint inexcuſabiles, dum libere libenterque per diverſas noxias cupiditates voluuntur, cotemnentes divitias bonitatis & patientiæ & longanimitatis Dei, propter duritiam, & impœnitens cor ignorantes, hoc eſt ignorare volentes, quia benignitas Dei ad pœnitentiam ipſos adducit, ac per hoc theſaurizantes ſibi iram in die iræ & juſti judicii Dei, pro diverſitate meritorum diverſis ſuppliciis diverſimode judicandi. 4. Demum & ultimo, ex illis qui ſuſcepta Dei gratia temporales ſunt nec perſeverant apertiſſime ſimiliter patefieri, quam juſte deſerantur, qui inju-

injuſte deſeruerunt, & ideo deſerantur, quia deſeruerunt. Nam etſi libero dimittantur arbitrio, libero, inquam, & liberato, liberato quidem libertate voluntatis, ſed non voluntate libertatis, hoc eſt non accepto perſeverantiæ dono judicio Dei juſto & occulto, numquam tamen ita dimittuntur libero arbitrio, ut eis deſit illud adjutorium ſine quo non poſſent perſeverare etiamſi vellent, & quod ſi defuiſſet, ſine ſua culpa utique cecidiſſent.

D. Auguſtinum eadem adſtruere de juſtis temporalibus, quæ de Adam adſtruxerat.

L I.

CONferatur quidquid ſuperius, ac præſertim c. 10. dixit B. Auguſtinus de homine primo; recogitetur quanto acumine initium deſumat undecimi ab illa notatu digniſſima inſtantia: *Quid ergo Adam non habuit gratiam?* attendatur quid reſponderit, *Immo vero habuit magnam ſed diſparem*: & ſine mora apparebit quam ad amuſſim quadret & aptetur quidquid adſtruit de Adam cum iis omnibus, quæ de juſtis temporalibus non accepto perſeverantiæ dono judicio Dei juſto & occulto liberoque dimiſſis arbitrio iiſdem paſſim verbis affirmat,

Digitized by Google

deſerunt & deſeruntur, *deſeruit & deſertus eſt* &c. Unde profecto conſtat non modo, ut ajebam, eſſe gratiam Creatoris, quæ comparatione illius multo amplioris qua oſtenditur, quid ejus poſſit beneficium in integritatis ſtatu, ab Auguſtino ne gratia quidem appellatur; quamobrem concludi decet & debet eſſe quoque in ſtatu naturæ corruptæ gratiam Salvatoris, nec parvam, immo vero magnam, quæ tamen efficaci collata, ſcilicet ei qua fit, ut velimus & dono perſeverantiæ, quo totum ſalutis opus abſolvitur, ne gratia quidem ab Auguſtino vocitatur. Sed præterea hanc ipſam gratiam ad inſtar illius quam habuit homo primus, & quam niſi habuiſſet, ſine ſua culpa utique cecidiſſet, in homine juſtificato hujuſmodi eſſe debere ſervata proportione eorum diſcriminum, quæ ſtatuum diverſitas exigit, ut ſemper ſive mediate ſive immediate ſit veræ & expeditæ non modo abſolutæ hoc eſt attento illo primævæ felicitatis ſtatu, ſed relativæ poſſibilitatis, attenta nimirum præſentis infirmitatis indigentia, adeo ut homo juſtus, qui labitur, temporalis eſt, nec perſeverat, ſi illam minime habuiſſet, ſine ſua culpa utique cecidiſſet.

Ver-

Verſatilem gratiam aut in utroque ſtatu aſſerendam, aut in utroque negandam.

LII.

QUicumque in juſtificatis non accepto perſeverantiæ dono temporalibus, nec perſeveraturis quodlibet aliud adjutorium ſibi effingunt ab iſto diverſum, velint nolint, inſufficiens confiteri coguntur, ac proinde veræ poſſibilitatis gratiam illis denegare. Quod ſi hoc diffiteri non audent & conſentiunt intra poſſibilitatis fines illud non eſſe ab adjutorio Adæ diſcriminatum, ſi verſatilem Adæ gratiam conſtanter, ne dicam pertinaciter tenent, neceſſario debent verſatilem cuilibet juſto concedere. Quandoquidem ſi abſque hoc adjutorio Adam ſine ſua culpa utique cecidiſſet, longe rationabilius, longeque adhuc excuſabilius juſtus inter tot & tantas tentationes ſine hoc adjutorio corruens, ſine ſua culpa utique corruiſſet. Quod ſi verſatile in ſtatu naturæ corruptæ quolibet in gradu ſive remoto ſive proximo ſummo pernegant jure, ac interim tale procul dubio cum Auguſtino fateantur, neceſſe eſt, ſine quo non poſſint, & cum quo poſſint permanere ſi velint: etenim ſi hujuſmodi adjutorium deeſſet, ſine

ſine ſua culpa caderent, quicumque cadunt, cur idem aſſerere non deſinunt in naturæ integritate verſatile? Cur contra rationem contra ſcripturas, contra Auguſtinum nec prudenter plane nec ſobrie nec pie tam abſonam adjutoriorum diſtinctionem tueri contendunt, ut in abſona multo abſurdiora inevitabiliter impingant? Cur in integritate naturæ ad illud ſaluberrimum rectiſſimumque myſterium confugere verecundantur, ad quod confugiunt: aut verius confugere in ejuſdem infirmitate ſe ſimulant? Neque enim myſterium eſt, aut erit umquam in eo, qui corruit cum ſtare non poſſit, & ſtare profecto nequit, cui adeſt Gratia non relative hoc eſt infirmo ſaucioque, ſed abſolute nimirum integro fortiſſimoque ſufficiens; aut ſi poſſe velint, altum utrobique inſcrutabileque myſterium comperiendum utique eſt. Nam cuilibet vigilanti, & acri ingenio prædito longe incomprehenſibilius eſt, quonam pacto valeat liberum arbitrium ad ſeſe verſatili gratia determinandum ad bonum, quam ſit illud: hoc eſt juſte eſſe culpabile ſi nolit, dum habet adjutorium ſine quo non poſſit, & cum quo poſſit permanere ſi velit; neque tamen volens habeat unde glorietur niſi in adjutorio Altiſſimi, qui dedit velle, quod poterat. Nil rationi magis conſentaneum quam de Deo credere quod mi-

nime

Digitized by Google

nime intelligas, & captivare intellectum in obſequium fidei, quæ iccirco credit, quia minime intelligit. Non eſt citra rationem, ſed eſt ſupra rationem, Omnipotentiſſimum Dominum ea poſſe, quæ nemo comprehendat. At non ſolum infra rationem, verum utique contra rationem eſt præſumtio intelligendi, quod rationis comprehenſioni repugnat: quale eſt illud liberum arbitrium ſuapte natura lubricum inconſtans varium, ac mutabile ſemper de nihilo ſumtum ad omnipotentiſſimam hanc virtutis & potentiæ vim poſſe aliquando pervenire, ut ipſum ſibi det in bono immutabilem ſempiternamque conſtantiam, quod interim nec a ſeipſo ſine adjutorio Dei habere potuiſſet ipſam mutabilitatis poſſibilitatem, immo nec ullatenus eſſe. Prætermitto dicere quam ſit ineptum inſulſum infirmumque eorum confugium, qui indecoram ſententiam (acrioribus parco verbis) indecora magis defenſione tutantur; peccato ſcilicet originis, ejus reliquiis, effectibus; ceteriſque ex ipſo languoribus tribuendo lapſum eorum, qui non accepto perſeverantiæ dono deſerunt, & deſeruntur, dum adeo certa ineluctabilique definitione ſtat firmum Apoſtolicum illud effatum: nihil eſſe damnationis his, qui ſunt in Chriſto Jeſu: Dum fide docemur, concupiſcentiam, quæ reatu tranſit, manet actu, in regeneratis relinqui

ad

ad certamen, in quo nemo vincitur, niſi qui vinci velit, cum vincere per Chriſtum poſſet eo dante victoriam, qui ait, confidite, ego vici mundum: In quo & per quem habemus fiduciam, fidelem eſſe Deum, qui non permittet nos tentari ſupra id, quod poſſumus ferre, ſed faciet etiam cum tentatione proventum: quippe qui impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſumus, & petere quod non poſſumus, & adjuvat ut poſſimus. Dico itaque fidenter: Si tale eſt adjutorium hominis juſtificati quale fuit Adæ adjutorium alioquin ſine ſua culpa utique caderet, quicumque cadit, aut inepte requiritur in homine juſtificato efficax gratia, quæ ſupervacanea vindicatur in integro, aut invicte exquiritur in utroque, ſi in altero veraciter & conſtanter exigitur.

Parvulos, & eos qui rationis uſu deſtituuntur ſufficienti gratia deſtitui.

LIII.

EN igitur quo tandem modo a B. Auguſtini mente & ſiſtemate, ne tranſverſum quidem unguem diſcedens, ſed qua fieri potuit fidelitate, ejus ſemper veſtigiis inhærens, nullatenus ejus teſtimonio refragor, quo ait: *Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna pec-*

Digitized by Google

peccati eſt. Cum comperiſſe licuit hujuſmodi hominum genus, in quibus locum habeat, & quibus abſque ulla hæſitatione poſſit accommodari terribilis iſte effectus juſti judicii Dei, facilis etiam probata ſanior huic ratio adſtipuletur, ac præſertim Divini hujus viri graviſſima auctoritas, a quo vel paullulum declinare piaculum reputo, ut ſane videre eſt in iis, qui cum ſolo originis debito hinc exeunt; *Nondum habentes liberum ſuæ voluntatis arbitrium*, ac per hoc hujuſmodi gratiæ procul dubio incapaces. Quæ cauſſa eſt, ut ineffabilis amplitudo donorum Chriſti contrahatur atque minuatur, cum aliunde neceſſe ſit mille difficultatibus iiſdemque inenodabilibus angi, infinitas ſirtes ſcopuloſque non ſine periculo, vel etiam non ſine naufragio præternavigare, neque ſolummodo ipſius B. Auguſtini auctoritati, ſed etiam apertiſſimis ſanctarum Scripturarum teſtimoniis contraire. Enimvero qui peccatores iis duriores quibus Chriſtus ipſe prædicans Evangelium Regni Dei, ac Verbum ſalutis copioſe diſpergens, opera faciens, quæ nullus ante fecerat, non modo non auditur, ſed repellitur, ſed deridetur, ſed percutitur, ſed conſpuitur, calumniis opprobriis flagellis blaſphemiis oneratur laceratur obruitur, ac demum poſt omnigenas contumelias & pœnas contu-

meliosiſſime & crudeliſſime crucifigitur? Qui peccatores iis duriores, de quibus loquitur Propheta*: Excœcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis & non intelligant corde, & convertantur, & ſanem eos: de quibus teſtatur Joannes in Evangelio*, quod non poterant credere? Nihilominus ſi interrogetur S. Doctor, quare non poterant credere? cito reſpondebit non poterant credere quia nolebant. De ipſis infidelibus, ad quos nulli ſpecioſi pedes Evangelizantium pacem, evangelizantium bona pervenerunt, de quibus dicit Scriptura divina dimiſſos eos eſſe in vias ſuas, datos in reprobum ſenſum, ut faciant ea, quæ non conveniunt, quorum utique peccata pœnas eſſe præcedentium peccatorum facile perſpicimus, & ex earum pœnalium cœcitatum numero, quas lege infatigabili ſpargit ultor Deus ſuper illicitas impiorum cupiditates; quos Paulus vocat hoſpites teſtamentorum Dei, & ſine Deo in hoc mundo, animalia, & ſpiritum non habentia: eoſdem tamen Divina ſcriptura inexcuſabiles eſſe teſtatur, quia, inquit, inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas, ita ut ſint inexcuſabiles, dilexerunt enim tenebras magis quam lucem, & lux

* *Iſaias 6. c. 9. 10.* * *Cap. 12. 39.*

lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt.

Recte tamen ipſam ſufficientem gratiam diſtingui in remotam & in proximam.

LIV.

NEque tamen eo me eſſe animo quiſpiam putet, ut velim omnibus generaliter hominibus idem adjutorii genus indiſcrete concedi; verum libentiſſime aſſentior notiſſimis illis diſtinctionibus proximi, & proximioris, remoti & remotioris, immo ſi velis remotiſſimi. Sed mihi perſuadere numquam potero, quemlibet hominem, quamlibet barbarus ac rudis ſit, ac inter ipſos ſylveſtres incolas, fas ſit dicere, ſylveſtriſſimus, modo rationis prorſus expers non ſit, ut vel tantillus homuncio, non pura puta fera dicatur & ſit, excludi ab omni penitus lucis radio; nec eum aliquando ulla ulterius motione titillari, ut prævaricator redeat ad cor, ut nec ei vel obiter exhibeatur, ac intus effulgeat extimuletque illum a quovis humano corde indelebilis regula, qua vetamur alteri facere quod nobis fieri nolimus, & e contra. Nullas eſſe humanarum rerum vices, nullos caſus, nullas calamitates, quæ non ei identidem extorqueant teſtimonium illud, ut cum Tertullia-

Digitized by Google

no loquar, animæ naturaliter Chriſtianæ, Deus! Adeoque ipſum a ſeipſo non eſſe: ſed eſſe magnum aliquod, quo nihil eſt melius, & a quo habet ut ſit, qui omnino non eſſet, ſi a ſeipſo eſſet. Dicam itaque horum utique poſſibilitatem remotam remotiſſimamque eſſe; ſed donec ligatis manibus & pedibus projiciantur in tenebras exteriores, dicere nullo modo adigar, non poſſe illos qualecumque boni genus per Chriſtum apprehendere, ac ſaluti propinquare ſi vellent; eo illuminante, qui eſt lux vera, quæ illuminat omnem hominem; eo intus ſuadente, qui vere Salvator eſt omnium hominum ſed maxime fidelium. Dicam eorum duritiem ſalutares gratiæ aculeos retundere atque repellere, quibus poſſent evigilare ſi vellent: verum dicere numquam adigar languidiora hæc illis adjutoria omnino ſubtrahi, eo certe languidiora, quo ii ſunt duriores, & eo duriores, quo pertinacius repellunt: numquam vero ita imbecilla & tenuia, ut non poſſint reſpirare ſi velint, ſed quia pertinaciter nolint, ideo nec poſſint.

Quid-

Quidquid ſit de obduratis & infidelibus, de reliquis compertiſſimam eſſe S. Doctoris mentem.

L V.

HÆc ut arbitror, vera eſt D. Auguſtini ſententia de graviſſimo ſanctiſſimoque dogmate; tametſi quod attinet ad hanc peculiarem Dogmatis particulam, ſive propius accedam, ſive, quod nolim, a S. Doctore recedam, contentioſum funem trahere non certo. Siquidem ſat mihi ſuperque eſt ab eo non recedere, ubi tam conſtanter tam liquido tam ſapienter ſuam ipſe ſententiam prodit, ſuam ipſe mentem aperit, ac ſaluberrimo rectiſſimoque canone firmat. Nemo igitur amplius animo hæreat, quin Auguſtini doctrinam totis ulnis amplectatur & teneat: quoniam tam laudabili juſtoque zelo, tanta invicem æmulatione orthodoxæ ubique ſcholæ Auguſtinum ſequi, eique indivulſe adhærere antiquiſſimum habent. Iterum vero nemo amplius exiſtimet Auguſtini doctrinam aliam ab ea eſſe quam ſaluberrima, rectiſſimaque Fidei confeſſione profitetur; aut Auguſtini Fidem aliam ab ea eſſe, quam Romana hoc eſt Catholica tenet, & aſſeverat Eccleſia. Auguſtinus aliam doctrinam, aliamve fidem a Catholicæ Eccleſiæ

do-

Digitized by Google

doctrina & fide ſectari neſcit: Catholica aliam ab Auguſtini doctrina & fide: quia in hoc alto inſcrutabilique myſterio, Catholicæ & Auguſtini doctrina & fides haud alia eſt aut eſſe poteſt a Prophetica ab Evangelica ab Apoſtolica doctrina, a Dogmate univerſim ſanctarum ſcripturarum, quarum ut beatiſſimus Vir & omni humanæ laudis præconio longe ſuperior in ſuo Enchiridio ait*: Altiſſimo ac ſaluberrimo Sacramento univerſa facies, atque, ut ita dixerim, vultus ſanctarum ſcripturarum bene intuentes id admonere invenitur, ut qui gloriatur in Domino glorietur. Sive ſit Angelus, ſive Archangelus, ſeu Thronus, ſeu Dominatio, ſeu Virtus, a celſiore uſque ad infimum beatiſſimorum illorum ſpirituum, qui ſemper vident faciem Patris, & incommutabili veritatis æternæ pulchritudini incommutabili charitate & indefectibili gaudio cohærent: A ſummo ad infimum ex hominibus, quibus tamen omnibus promiſſa paratur, & eſt certiſſima feliciſſimaque Prædeſtinationis præparatione, parata in domo Patris manſio, domus non manufacta æterna in Cœlis, & cum Angelis ſanctis in gaudio Domini perfecta parilitas.

Uni-

* *Cap. 98.*

Digitized by Google

Univerſas vias Domini ſive in Angelis ſive in hominibus eſſe miſericordiam & veritatem.

LVI.

NEque enim de Angelis ſolis aut de ſolis hominibus, ſed de tota pacis viſione Cœleſtique Sion, hoc eſt de Angelis ſimul & hominibus Pſalmographum dixiſſe tradunt, qui Hebraice legunt: Tibi ſilentium laus Deus in Sion: Silentium utique meritorum ſive Angelicorum ſive humanorum. Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipſo & per ipſum & in ipſo ſunt omnia: ipſi non Angelis aut hominibus, ſed ab hominibus utique & Angelis gloria in ſæcula. Quod ſi ut habet vulgata Ode hymnuſque concinitur: Te decet hymnus Deus in Sion, non alius procul dubio erit ab eo, quo ſive Angeli ſive homines inceſſabilibus efferant laudibus immenſæ bonitatis Dei largitatem talem tantamque, ut voluerit Angelorum & hominum eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona. Non alius ab eo, quo dicitur: Miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine. Siquidem intuentur Angeli ſancti in refugarum Angelorum judicio, quid eorum potuerit, quid ipſorum potuiſſet liberum arbitrium, & a quam horri-

Digitized by Google

bili miſeriarum colluvie ſalvati fuerint gratiæ beneficio . Intuentur ſancti ex hominibus, a quam protenſo innumerabilium malorum pelago, a quam profundo intolerabilium ærumnarum abyſſo liberati fuerint, eodem gratiæ beneficio, quo & a perditionis maſſa ſegreges facti ſunt, & ex vaſis contumeliæ quibus competit tam juſta damnatio in vaſa miſericordiæ ad oſtenſionem divitiarum gloriæ Dei miſericorditer efformati . Proinde univerſi perenniter beati illius cœtus ſacrum melos nil aliud erit quam perennis occentus miſericordiarum Domini: Miſericordias Domini in æternum cantabo . Angeli hominibus homines Angelis concinentes Principes conjuncti pſallentibus in gratiarum actione & voce laudis canentes Domino: Nonne Deo ſubjecta erit anima mea, ab ipſo enim ſalutare meum: Et illud, Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi. Et eo profuſius, ac eo ſane beatius in gratiarum actiones & voces laudis erumpere; quo minus eis retribuendum ſupereſt illi, a quo ſibi cuncta vel tributa vel retributa veraciſſima exultatione & confeſſione fatentur; eo ſublimius eoque felicius extolli, & in Domino gloriari, quo verius certiuſque perſpiciunt in nullo gloriandum eis eſſe, quorum nihil eſt . In illa die quam vivunt Angeli ſancti, quam vivent in ævum ſan-

Digitized by Google

ſancti ex hominibus, vere dies ſuper millia nihil eſt nihil umquam erit magnum nil celſum præter Altiſſimum præter excelſum. In illa die exaltabitur Deus ſolus. Totumque veſpere & mane & meridie negotioſorum otium, otioſorum negotium ſive Angelorum ſive hominum ſuaviſſimum illud caſtiſſimumque, nil aliud erit, quam veſpere a contemplatione Creatoris deſpici creaturam, & mane a cognitione creaturæ in laudem Creatoris aſſurgere, diemque feſtivum inſignem vere diem ſolemnitatis æternæ indefectibili meridie ac ineffabili beatitate peragere. Quia non ibi abſceſſu lucis ſuperioris fit veſpera, nec mane tamquam nocti ignorantiæ lux matutina ſuccedat, ſed quia veſpertina cognitio in gloriam Creatoris attollitur. Sic perpetuo inenarrabilique gaudio Angeli & homines in contemplatione Creatoris ſempiterno, coram ipſo amore deficient Charitate deficientes Æternitate refecti, Veritate beati.

Ex adjutoriorum novitia diſtinctione tot in Eccleſiam irrupiſſe diſſidia.

LVII.

IN hac Fide & nata eſt, & creſcit, & crevit Eccleſia, quæ Fides viguit, viget, vigebit, donec ſive in Angelis ſive in hominibus viguerit ſpiritus ille, quem acceperunt & Angeli & homines, ſpiritum non hujus mundi, ſed ſpiritum qui a Deo eſt, ut ſciant & Angeli & homines quæ a Deo donata ſunt eis. Qua Fide quo ſpiritu *ſaluberrime confitemur, quod rectiſſime credimus, Deum Dominumque rerum omnium ſic ordinaſſe Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius oſtenderet quid poſſet eorum liberum arbitrium, deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium juſtitiæque judicium*. Quamobrem ſit profecto dubitationi locus, non aliquo innoxio errore, & excuſabili mentis hallucinatione deceptos fuiſſe homines ceteroquin doctiſſimos, & ſi velis, etiam piiſſimos, qui poſtremis hiſce calamitoſiſque temporibus ſibi tam facile in animum induxerunt, inveniſſe ſe veram clavim doctrinæ B. Auguſtini, in illo adjutoriorum commento, ac diſtinctione, tam porro diſſita a ſenſu, a pietate, ab acumine, & apertiſſimis teſtimoniis incomparabilis

Digitized by Google

bilis hujus Viri vere Doctoris ſinceriſſimæ humilitatis, ac pulcherrimæ caſtiſſimæque dilectionis Magiſtri. Quo ſane novo commento heu nimium longe lateque effuſa eſt turbulentiſſima illa luctuoſiſſimaque procella, qua nondum Sancta Dei Eccleſia perturbari vexari & concut deſinit, imo ne faxis Unigenite Fili Dei! nec deſinet, donec tam infauſta fœdiſſimorum diſſidiorum auctrix & origo Chriſtianis animis illudet, & Catholicæ paci inſidiabitur. Tam abſono enim non eliminato principio, ſemper erunt in Eccleſia plurimi, de quibus ambigi jure poſſit, ne in alterutram extremitatum illidant, ſcilicet aut Gratiam ſeipſa efficacem inficientur, aut adjutorium *ſine quo non*, ſeu veræ poſſibilitatis, ac proxime ſufficiens ore tenus ſolummodo profiteantur. Fit inquam dubitationi locus quin philautiæ & amoris ſui, adeoque pravæ illius præſumtionis & ſuperbiæ, qua Angeli effecti ſunt Dæmones, & homo a Paradiſo dejectus e felici miſerrimus, fuco decepti ſibi ſuaſerint, immo etiam perſuaſerint Doctiſſimi Viri indecoram hanc diſtinctionem toti retrorſum antiquitati ignoratam. Ita demum ut proprio experimento cedere coacti, vivacique nimium præſentis infirmitatis ſenſui, qua palam languet in cunctis vitiata & lapſa in Adam natura, quod in præſentiarum jactare nequeunt,

Digitized by Google

in præteritum jactitare non dubitarint, & quodammodo amorem ſui virium ſatis ſuperque decoctum, quas habere ſe, niſi ſtultiſſime gloriari nunc poſſet, oſtentando ſe habuiſſe compenſare ac redintegrare quoquo pacto ſtuduerint.

Nullam tamen notam hujuſce ſententiæ vindicibus inuri.

LVIII.

NOlim hinc aliquem incautius colligere, voluiſſe me aliquam notam inurere iis, qui huic diſtinctioni propugnant, quam pro viribus conatus ſum falſam, erroribus obnoxiam multimodis, ac a D. Auguſtini mente prorſus alienam oſtendere. Fateor equidem putare me, inde eas omnes concluſiones deſcendere, ac veluti effluere, quas iteratis tam ſæpe vicibus reprobavit & proſcripſit Eccleſia. Sed adhuc novi illos ipſos, qui hanc diſtinctionem velut aram & focum tuentur, eaſdem concluſiones, qua par eſt, deteſtatione proſequi, & bona fide pernegare illas inde ortum ducere. Quod certe illis, ut puto, tamdiu permiſſum eſt, donec aut ipſam diſtinctionem cenſura deſignet, aut ita compertum habeant reprobatas theſes ab hoc principio elici, ut ſibimetipſis mentiri cogantur, corde retinentes quod oris execratio-

Digitized by Google

ne propellunt. Quod abſit, ut cogitem de quocumque nedum Catholico, ſed vel honeſto viro, tantum abeſt, ut ſuſpicer de illis, qui Religione Pietate Doctrina, & quovis alio titulo mihi maxime colendi ſunt.

Fulguritas theſes inde profluere.

LIX.

POſſem fortaſſe, quin etiam deberem ad hanc diſcuſſionem animum applicare, ſed tum quia productiorem diſputationem exigit, quam poſſit jam ſatis abunde prolixa diſſertatione concludi: ne dicam non eos mihi humeros eſſe, ut tam grave ſubeam onus; tum quia perſuaſum etiam omnino eſt, me inutiliter huic diſcuſſioni vacaturum, & ut fert paræmia, oleum & operam perditurum infructuoſo labori ſuperſedeo. Nam ſive cotingat liquido demonſtrare ac evidenter evincere, hoc principium non abeſſe ſolummodo, verum etiam obeſſe & contraire doctrinæ B. Auguſtini, hac diſcuſſione non indigent illi, quibus hoc perſuaſum eſt: ſive non contingat perſuaſum facere id, quod evincitur; ne tum quidem ea indigent, qui hoc inficiantur. Non indigent illi, quia haud ægre perſpicient, falſas concluſiones effluere a principio, quod fallax falſumque rejiciunt: Non indi-

Digitized by Google

digent iſti, quia numquam indulgere volent falſas concluſiones exoriri a principio, quod ut tutiſſimum vindicant.

Concluſio.

LX.

UNum igitur reliquum eſt, ut Patrem luminum, a quo omne datum optimum, & omne donum perfectum deſcendit, toto cordis affectu ſuppliciter obſecrem tum pro me, tum etiam pro iis, ad quorum manus ſcriptio iſta perventura eſt, ut adſit mentibus noſtris, & tantam ſpiritu ſuo ſpiritui noſtro facilitatem humilitatis, lucem veritatis, dulcedinem charitatis, pacem pietatis infundat, ut victores animi noſtri malimus eſſe in veris, quam cujuslibet contradictoris in falſis; nec pudeat ſi qua improbabilia invicem deteguntur, propria repudiata ſententia, proprioque damnato judicio meliora magis, & quæ ſint veriora, ſectari. Quod quidem non ideo dixerim, quo in ſaluberrima rectiſſimaque Fidei confeſſione ſim nutabundus & anceps; ſed quia, cum per ſalebroſa & opaca altiſſimi Sacramenti incedere coactus fuerim, eoque difficilior & periculoſior evaſerit via, quo diuturnioris contentionis ac vehementionis animoſitatis conculcatione detrita, pro-

pter

pter varios & multiplices errores perſæpe confixos velut in ima ſubinde dehiſcit; contingere facile poteſt, ut alicui videar, aut ſenſiſſe quod non ſenſi, aut non ſenſiſſe quod ſenſi, vel etiam dum vera tota perſequor intentione comprehendere, in aliqua incautius falſa deviaſſe. Hoc autem ſi veritate & charitate vel etiam ſola veritate redarguente comperero, præclariſſime mecum actum putem, cui liceat ſecundas habere partes modeſtiæ, qui primas non potui habere ſapientiæ, & qui non valui omnia non pœnitenda diligenter dixiſſe, pœnitebit, quæ cognoverim dicenda non fuiſſe. Verum abſit, ut idcirco a ſanctiſſima fidei regula aliquantiſper dimovendus exiſtimer, quin potius hæc oratio mea in ſinu meo Domino miſerante perſeverantiſſima convertetur inſtantia: *Dixiſti mihi Domine voce forti in aurem interiorem, quod omnes naturas atque ſubſtantias, quæ non ſunt, quod tu es, & tamen ſunt, tu feciſti, & hoc ſolum a te non eſt, quod non eſt, motuſque voluntatis a te, qui es ad id, quod minus eſt, quia talis motus delictum atque peccatum eſt*. Quapropter ſaluberrime confiteor, quod rectiſſime credo, te Deum Dominumque rerum omnium ſic ordinaſſe Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius oſtenderes quid poſſet eorum liberum arbitrium, deinde quid poſſet tuæ gratiæ benefi-

neficium, juſtitiæque judicium.* *Hoc in conſpectu tuo claret mihi, & magis magiſque clareſcat oro te, atque in hac manifeſtatione perſiſtam ſobrius ſub alis tuis.*

CA-

* *Confeſſ. lib. XII. c. 11.*

Digitized by Google

CAPITA X. XI. XII. D. AUGUSTINI

De Correptione & Gratia.

Editionis Baſileenſis Frobenianæ MDXXVIII.

CAP. X.

HInc exoritur alia quæſtio non ſane contemnenda, ſed in adjutorio Domini, in cujus manu ſunt & nos & ſermones noſtri, aggredienda atque ſolvenda. Quæritur enim a nobis, quantum attinet ad hoc donum Dei, quod eſt in bono perſeverare uſque in finem, quid de ipſo primo homine ſentiamus, qui certe ſine ullo vitio factus eſt rectus. Nec dico, ſi perſeverantiam non habuit, quomodo ſine vitio fuit, cui tamen neceſſarium Dei donum fuit: huic namque interrogationi facile reſpondetur, eum perſeverantiam non habuiſſe, quia in eo bono, quo ſine vitio fuit non perſeveraverit. Cœpit enim habere vitium ex quo cecidit, & ſi cœpit, antequam cœpiſſet, utique ſine vitio fuit. Aliud eſt enim non habere vitium, & aliud eſt in ea bonitate in qua nullum vitium eſt, non manere. Eo quippe ipſo quod non dicitur nunquam ſine vitio fuiſſe, ſed

dicitur ſine vitio non permanſiſſe, proculdubio demonſtratur ſine vitio fuiſſe, in quo bono non permanſiſſe culpatur. Sed illud magis quærendum, operoſiuſque tractandum eſt, quomodo reſpondeamus eis, qui dicunt, Si in illa rectitudine in qua ſine vitio factus eſt, habuit perſeverantiam, proculdubio perſeveravit in ea; & ſi perſeveraverit, utique non peccavit, nec illam ſuam rectitudinem Deumque deſeruit. Eum autem peccaſſe, & deſertorem boni fuiſſe veritas clamat. Non ergo habuit in illo bono perſeverantiam, & ſi non habuit, non utique accepit. Quomodo enim & accepiſſet perſeverantiam, & non perſeveraſſet? Porrò ſi propterea non habuit, quia non accepit, quid ipſe non perſeverando peccavit, qui perſeverantiam non accepit? Neque enim dici poteſt ideo non accepiſſe, quia non eſt diſcretus a maſſa perditionis gratiæ largitate: Nondum quippe erat illa in genere humano perditionis maſſa antequam peccaſſet, ex qua tracta eſt origo vitiata. Quapropter ſaluberrime confitemur, quod rectiſſime credimus, Deum Dominumque rerum omnium, qui creavit omnia bona valde, & mala ex bonis exoritura eſſe præſcivit, & ſcivit magis ad ſuam Omnipotentiſſimam bonitatem pertinere etiam de malis bene facere, quam mala eſſe non ſinere: Sic ordinaſſe Angelorum, & hominum

vitam,

Digitized by Google

vitam, ut in ea prius oſtenderet, quid poſſet eorum liberum arbitrium, deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium juſtitiæque judicium. Denique Angeli quidam, quorum Princeps eſt qui dicitur Diabolus, per liberum arbitrium a Domino Deo refugæ facti ſunt. Refugientes tamen ejus bonitatem, qua beati fuerunt, non potuerunt ejus effugere judicium, per quod miſerrimi effecti ſunt. Cæteri autem per ipſum liberum arbitrium in veritate ſteterunt, eamque de ſuo caſu nunquam futuro certiſſimam ſcire meruerunt.
. Si enim nos de Scripturis ſanctis noſſe potui-
. mus ſanctos Angelos jam nullos eſſe caſuros,
. quanto magis hoc ipſi revelata ſibi ſublimius
. veritate noverunt. Nobis quippe beata ſine
. fine vita promiſſa eſt, & æqualitas Angelo-
. rum. Ex qua promiſſione certi ſumus, cum
. ad illam vitam poſt judicium venerimus, non
. inde nos eſſe lapſuros: quod ſi de ſe ipſis An-
. geli neſciunt, non æquales ſed beatiores eri-
. mus. Veritas autem nobis eorum promiſit æ-
. qualitatem." Certum eſt igitur hoc eos noſſe per ſpeciem, quod nos per fidem, nullam ſcilicet jam ruinam cujuſquam ſancti Angeli futuram. Diabolus vero, & Angeli ejus & ſi beati erant antequam caderent, & ſe in miſeriam caſuros eſſe neſciebant, erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, ſi per libe-

rum arbitrium in veritate ſtetiſſent, donec iſtam ſummæ beatitudinis plenitudinem, tanquam præmium ipſius permanſionis acciperent, ideſt ut magna per Spiritum Sanctum data abundantia charitatis Dei cadere ulterius omnino non poſſent, & hoc de ſe certiſſime noſſent: hanc plenitudinem beatitudinis non habebant, ſed quia neſciebant ſuam futuram miſeriam, minore quidem ſed tamen beatitudine ſine ullo vitio fruebantur. Nam ſi ſuum caſum futurum noſſent, æternumque ſupplicium beati utique eſſe non poſſent, quos hujus tanti mali metus jam tunc miſeros eſse compelleret. Sic & hominem fecit cum libero arbitrio, & quamvis ſui futuri caſus ignarum, tamen ideo beatum, quia & non mori, & non miſerum fieri in ſua poteſtate eſſe ſentiebat. In quo ſtatu recto ac ſine vitio, ſi per ipſum liberum arbitrium manere voluiſſet, profecto ſine ullo mortis & infelicitatis experimento acciperet illam merito hujuſmodi permanſionis beatitudinis plenitudinem, qua & ſancti Angeli ſunt beati, ideſt ut cadere non poſſet ulterius, & hoc certiſſime ſciret. . Nam neque ipſe poſſet etiam in Paradiſo . beatus eſſe, imo ibi non eſſet, ubi eſſe mi- . ſerum non deceret, ſi eum ſui caſus præ- . ſcientia timore tanti mali miſerum faceret. Quia vero per liberum arbitrium Deum deſe-

ruit,

ruit, juſtum judicium Dei expertus eſt, ut cum tota ſua ſtirpe, quæ in illo adhuc poſita, tota cum illo peccaverat, damnaretur. Quotquot enim ex hac ſtirpe gratia Dei liberantur, a damnatione utique liberantur, qua jam tenentur obſtricti: unde etiam ſi nullus liberaretur, juſtum Dei judicium nemo juſte reprehenderet. Quod ergo pauci in comparatione pereuntium, in ſuo vero numero liberantur multi, gratia fit, gratis fit, gratiæ ſunt agendæ quia fit, ne quis velut de ſuis meritis extollatur, ſed omne os obſtruatur, & qui gloriatur in Domino glorietur.

CAP. XI.

QUid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? Imo vero habuit magnam ſed diſparem. Ille in bonis erat, quæ bonitate ſui Conditoris acceperat. Neque enim ea bona & ille ſuis meritis comparaverat, in quibus prorſus nullum patiebatur malum. Sancti vero in hac vita, ad quos pertinet liberationis hæc gratia, in malis ſunt, ex quibus clamant ad Deum: libera nos a malo. Ille in illis bonis Chriſti morte non eguit: iſtos a reatu hæreditario & proprio illius Agni ſanguis abſolvit. Ille non opus habebat coadjutorio, quod

quod implorant iſti cum dicunt: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum: quoniam in eis caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, atque in tali certamine laborantes atque periclitantes, dari ſibi pugnandi vincendique virtutem per Chriſti gratiam poſcunt. Ille vero nulla tali rixas a ſe ipſo adverſus ſe ipſum tentans atque turbatus in illo beatitudinis loco ſua ſecum pace fruebatur. Proinde etſi non interim lætiore nunc, veruntamen potentiore gratia indigent iſti: " Et quæ potentior quam Dei unigenitus Filius, æqualis Patri, & coæternus pro eis homo factus, & ſine ullo vel originali vel proprio peccato ab hominibus peccatoribus Crucifixo? Qui quamvis die tertio reſurrexit nunquam moriturus ulterius, pertulit tamen pro mortalibus mortem, qui mortuis præſtitit vitam, ut redempti ejus ſanguine, tanto ac tali pignore accepto dicerent: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non & cum illo omnia nobis donavit? Deus ergo naturam noſtram,

ideſt

„ ideſt animam rationalem carnemque hominis „ Chriſtus ſuſcepit ſuſceptione ſingulariter mira„ bili vel mirabiliter ſingulari, ut nullus juſti„ tiæ ſuæ præcedentibus meritis Filius Dei ſic „ eſſet ab initio, quo eſſe homo cœpiſſet, ut ipſe „ & Verbum quod ſine initio eſt, una perſo„ na eſſet. Neque enim quiſquam tanta rei hu„ jus & fidei cœcus eſt ignorantia, ut audeat di„ cere, quamvis de Spiritu Sancto, & Virgine „ Maria Filium hominis natum, per liberum „ tamen arbitrium bene vivendo, & ſine pec„ cato bona opera faciendo meruiſſe, ut eſſet „ Dei Filius, reſiſtente Evangelio, atque di„ cente, Verbum caro factum eſt; nam ubi „ hoc factum eſt, niſi in utero Virginali, un„ de fuit initium hominis Chriſti? Itemque Vir„ gini requirenti, quomodo fieret quod ei per „ Angelum nuntiebatur, Angelus reſpondit: „ Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & Virtus „ Altiſſimi obumbrabit tibi, propter hoc quod „ naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. „ Propterea, inquit, non propter opera, quæ „ nondum nati utique nulla ſunt, ſed propterea „ quia Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & „ virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: Quod na„ ſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. „ Iſte Nativitas profecto gratuita conjunxit in „ unitate perſonæ hominem Deo, carnem Verbo.

„ bo. Iſtam nativitatem bona opera ſecuta ſunt,
„ non bona opera meruerunt. Neque enim me-
„ tuendum erat, ne iſto ineffabili modo in uni-
„ tatem perſonæ a Verbo Deo natura humana
„ ſuſcepta per liberum voluntatis peccaret arbi-
„ trium, cum ipſa ſuſceptio talis eſſet, ut na-
„ tura hominis a Deo ita ſuſcepta, nullum in
„ ſe motum malæ voluntatis admitteret. Per
„ hunc Mediatorem Deus oſtendit eos, quos ejus
„ ſanguine redemit, facere ſe ex malis deinceps
„ in æternum bonos, quem ſic ſuſcepit, ut
„ nunquam eſſet malus, ne ex malo factus ſem-
„ per eſſet bonus. „ Iſtam gratiam non habuit homo primus, qua nunquam vellet eſſe malus. ſed ſane habuit, in qua ſi permanere vellet, nunquam malus eſſet, & ſine qua etiam cum libero arbitrio bonus eſſe non poſſet, ſed eam tamen per liberum arbitrium deſerere poſſet. Nec ipſum ergo Deus eſſe voluit ſine ſua gratia, quem reliquit in ejus libero arbitrio: quoniam liberum arbitrium ad malum ſufficit, ad bonum autem parum eſt, niſi adjuvetur ab omnipotenti bono: quod adjutorium ſi homo ille per liberum non deſeruiſſet arbitrium, ſemper eſſet bonus, ſed deſeruit, & deſertus eſt. Tale quippe erat adjutorium, quod deſereret cum vellet, & in quo permaneret ſi vellet, non quo fieret, ut vellet. Hæc eſt prima Gratia, quæ data eſt

alibi nihil

primo

primo Adam, ſed hæc potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim quo fit, ut habeat homo juſtitiam ſi velit: Secunda ergo plus poteſt, qua etiam fit, ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluptatem contraria concupiſcentem voluntate ſpiritus vincat. Nec ille quidem parva erat, qua etiam demonſtrata eſt potentia liberi arbitrii, quoniam ſic adjuvabatur, ut ſine hoc adjutorio in bono non maneret, ſed hoc adjutorium ſi vellet deſereret. Hæc autem tanto major eſt, ut parum ſit homini per illam reparare perditam libertatem, parum ſit denique non poſſe ſine illa vel apprehendere bonum, vel permanere in bono ſi velit, niſi etiam efficiatur ut velit. Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum. Dederat adjutorium, ſine quo non poſſet in ea permanere ſi vellet, ut autem vellet in ejus reliquit libero arbitrio. Poſſet ergo permanere ſi vellet, quia dederat adjutorium per quod poſſet, & ſine quo non poſſet bonum perſeveranter tenere quod vellet. Sed quia nolit permanere, profecto ejus culpa eſt, cujus meritum fuiſſet, ſi permanere voluiſſet, ſicut fecerunt Angeli ſancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi, & hujus manſionis debitam mercedem reci-

Digitized by Google

pere meruerunt, tantam ſcilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certiſſimum ſit ſemper ſe in illa eſſe manſuros. Si autem hoc adjutorium vel Angelo vel homini, quamprimum facti ſunt defuiſſet, quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino adjutorio poſſet manere ſi vellet, non utique ſua culpa cecidiſſent. Adjutorium quippe defuiſset, ſine quo manere non poſsent. Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium jam pœna peccati eſt: quibus autem datur, ſecundum gratiam datur, non ſecundum debitum, & tanto amplius datur per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, quibus id Deo dare placuit, ut non ſolum aſſit ſine quo permanere non poſſumus etiamſi velimus, verumetiam tantum ac tale ſit, ut velimus. Eſt quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perſeveranti tenendo non ſolum poſſe quod volumus, verumetiam velle quod poſſumus. Quod non fuit in homine primo: unum enim horum in illo fuit, alterum non fuit. Namque ut reciperet bonum gratia non egebat, quia nondum perdiderat: ut autem in eo permaneret egebat adjutorio gratiæ, ſine quo id omnino non poſſet: & acceperat poſſe ſi vellet, ſed non habuit velle, quod poſſet, nam ſi habuiſſet perſeveraſſet. Poſſet enim perſeverare etiam ſi vellet: quod ut nollet de libero deſcendit arbitrio,

quod

Digitized by Google

quod tunc ita liberum erat, ut bene velle poſſet & male. Quid erit autem liberius libero arbitrio, quando non poterit ſervire peccato, quæ futura erat & homini ſicut facta eſt & Angelis ſanctis merces meriti? Nunc autem per peccatum perdito bono, merito in his qui liberantur, factum eſt donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat. Quapropter bina iſta quid inter ſe differant diligenter, & vigilanter intuendum eſt, poſſe non peccare, & non poſſe peccare: poſse non mori, & non poſse mori: bonum poſse non deſerere, bonum non poſse deſerere. Potuit enim non peccare primus homo, potuit non mori, potuit bonum non deſerere. Nunquid dicturi ſumus, non potuit peccare qui tale habebat liberum arbitrium? Aut non potuit mori, cui dictum eſt, Si peccaveris morte morieris? Aut non potuit bonum deſerere, cum hoc peccando deſeruerit, & ideo mortuus ſit? Prima ergo libertas voluntatis erat, poſſe non peccare: noviſſima erit multo major non poſse peccare. Prima immortalis erat poſſe non mori: noviſſima erit multo major, non poſſe mori. Prima erat perſeverantiæ poteſtas, bonum poſse non deſerere: noviſſima erit felicitas perſeverantiæ bonum non poſſe deſerere.

Digitized by Google

C A P. XII.

NUnquid quia erunt bona noviſſima potiora atque meliora, ideo fuerunt illa prima vel nulla, vel parva? Itemque ipſa adjutoria diſtinguenda ſunt. Aliud eſt adjutorium ſine quo aliquid non fit, & aliud eſt adjutorium, quo aliud fit. Nam ſine alimentis non poſſumus vivere, nec tamen cum affuerint alimenta, eis fit ut vivat qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum eſt ſine quo non fit, non quo fit ut vivamus. At vero beatitudo quam non habet homo, cum data fuerit continuo fit beatus: Adjutorium eſt enim non ſolum ſine quo non fit, verum etiam quo fit propter quod datur. Quapropter hoc adjutorium, & quo fit eſt, & ſine quo non fit. Quia & ſi data fuerit homini beatitudo, continuo fit beatus, & ſi data nunquam fuerit nunquam erit. Alimenta vero non conſequenter faciunt, ut homo vivat, ſed tamen ſine illis non poteſt vivere. Primo itaque homini, qui in eo bono, in quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare; poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere, datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet. Nunc vero

Digitized by Google

ro ſanctis in Regnum Dei per gratiam Dei Prædeſtinatis, non tantum tale adjutorium perſeverantiæ datur, ſed tale ut eis perſeverantia ipſa donetur, non ſolum ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verumetiam ut per hoc donum nonniſi perſeverantes ſint. " Non
. ſolum enim dixit: ſine me nihil poteſtis fa-
. cere; verumetiam dixit: non vos me elegi-
. ſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos ut eatis,
. & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.
. Quibus verbis eis non ſolum juſtitiam, ve-
. rumetiam in illa perſeverantiam ſe dediſſe mon-
. ſtravit. Chriſto enim ſic eos ponente, ut
. eant, & fructum afferant, & fructus eorum
. maneat, quid audeat dicere, forſitan non ma-
. nebit? ſine pœnitentia ſunt enim dona, &
. vocatio Dei, ſed vocatio eorum, qui ſecun-
. dum propoſitum vocati ſunt. Pro his ergo
. interpellante Chriſto ne deficiat fides eorum,
. ſine dubio non deficiet uſque in finem, ac per
. hoc perſeverabit uſque in finem, nec eam niſi
. manentem vitæ hujus invenit finis. " Major quippe libertas eſt neceſſaria adverſus tot & tantas tentationes, quæ in Paradiſo non fuerunt, dono perſeverantiæ munita atque firmata, ut cum omnibus amoribus terroribus erroribus ſuis vincatur hic mundus: hoc ſanctorum Martyria docuerunt. " Denique ille Adam & terrente nullo,

& in-

& inſuper contra Dei terrentis imperium libero uſus arbitrio non ſtetit in tanta felicitate, in tanta non peccandi facilitate. " Iſti autem non dico terrente mundo, ſede ſæviente ne ſtarent, ſteterunt in fide, cum videret ille bona præſentia quæ fuerat relicturus: Iſti ſutura quæ accepturi fuerant non viderunt. Unde hoc niſi donante illo, a quo miſericordiam conſecuti ſunt ut fideles eſſent, a quo acceperunt ſpiritum non timoris, quo perſequentibus cederent, ſed virtutis & charitatis & continentiæ, quo cuncta minantia, cuncta invitantia, cuncta cruciantia ſuperarent? Illi ergo ſine peccato ullo data eſt voluntas libera, cum qua conditus eſt, & eam fecit ſervire peccato: horum vero cum fuiſſet voluntas ſerva peccati, liberata eſt per illum, qui dixit: Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis. Et accipiunt tantam per iſtam gratiam libertatem, ut quamvis quamdiu hic vivunt, pugnent contra concupiſcentias peccatorum, eiſque nonnulla ſurrepant, propter quæ dicant quotidie, Dimitte nobis debita noſtra, non tamen ultra ſerviant peccato quod eſt ad mortem de quo dicit Joannes Apoſtolus. Eſt peccatum ad mortem non pro illo dico, ut roget quis. De quo peccato quoniam non expreſſum eſt, poſſunt multa & di-

verſa

Digitized by Google

. verſa ſentiri ; Ego autem dico id eſſe pecca-
. tum fidem, quæ per dilectionem operatur de-
. ſerere uſque ad mortem. " Huic peccato ultra non ſerviunt, non prima conditione ſicut ille liberi, ſed per ſecundum Adam Dei gratia liberati, & iſta liberatione habentes liberum arbitrium, quo ſerviant Deo, non quo captiventur a Diabolo. " Liberati enim a peccato ſer-
. vi facti ſunt juſtitiæ, in qua ſtabunt uſque in
. finem donante ſibi illo perſeverantiam, qui
. eos præſcivit, & prædeſtinavit, & ſecundum
. propoſitum vocavit, & juſtificavit, & glori-
. ficavit: quoniam illa quæ his promiſit etiam
. futura jam fecit, cui promittenti credidit A-
. braam, & deputatum eſt illi ad juſtitiam. De-
. dit enim gloriam Deo pleniſſime credens, ſi-
. cut ſcriptum eſt, quia quæ promiſit, potens eſt
. & facere. Ipſe ergo illos bonos facit, ut bona
. faciant. Neque enim propterea eos promiſit
. Abraæ, quia præſcivit a ſeipſis bonos futu-
. ros. Nam ſi ita eſt non ſuum ſed eorum eſt,
. quod promiſit. Non ait ſic, credidit A-
. braam: ſed non eſt infirmatus in fide dans
. gloriam Deo, & pleniſſime credens, quia
. quæ promiſit Deus, potens eſt & facere. Non
. ait, quæ præſcivit potens eſt promittere, aut
. quæ prædixit, potens eſt oſtendere, ſed quæ
. promiſit potens eſt & facere. Ipſe ergo

facit

. facit eos perſeverare in bono, qui facit bo-
. nos. Qui autem cadunt, & pereunt, in Præ-
. deſtinatorum numero non fuerunt. Quam-
. vis ergo de omnibus regeneratis, & pie viven-
. tibus loqueretur Apoſtolus dicens: Tu quis
. es, qui judices ſervum alienum, ſuo Domi-
. no ſtat, aut cadit: continuo tamen reſpexit
. ad Prædeſtinatos, & ait: Stabit autem, &
. ne hoc ſibi arrogarent. Potens eſt enim Deus,
. inquit, ſtatuere eum. Ipſe itaque dat perſeve-
. rantiam, qui ſtatuere potens eſt eos qui ſtant, ut
. perſeverantiſſime ſtent, vel reſtituere, qui ceci-
. derint, Dominus enim erigit eliſos." Ut ergo non acciperet hoc donum Dei, ideſt in bono perſeverantiam primus homo, ſed perſeverare, vel non perſeverare in ejus relinqueretur arbitrio, tales vires habebat ejus voluntas, quæ ſine ullo fuerat inſtituta peccati, & nihil illi ex ſe ipſa concupiſcentialiter reſiſtebat, ut digne tantæ bonitati & bene vivendi facilitati, perſeverandi committeretur arbitrium, Deo quidem præſciente quid eſſet facturus injuſte, præſciente tamen non ad hoc cogente, ſed ſimul ſciente, quid de illo faceret juſte. Nunc vero poſteaquam eſt illa magna peccati merito amiſſa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remanſit infirmitas. Placuit enim Deo, quo maxime humanæ ſuperbiam præſumptionis extingueret, ut non gloriE-

tur omnis caro coram ipſo, ideſt omnis homo. Unde autem non glorietur caro coram ipſo, niſi de meritis ſuis? quæ quidem potuit habere, ſed perdidit: & per quod habere potuit, per hoc perdidit, hoc eſt per liberum arbitrium, propter quod non reſtat liberandis niſi gratia Salvatoris. Ita ergo non gloriatur omnis caro coram ipſo. Non enim gloriantur injuſti, qui non habent unde: nec juſti, quia de ipſo habent unde, nec habent gloriam ſuam niſi ipſum, cui dicunt, Gloria mea, & exaltans caput meum. Ac per hoc ad omnem hominem pertinet, quod ſcriptum eſt, ut non glorietur omnis caro coram ipſo. Ad juſtos autem illud, qui gloriatur in Domino glorietur. Hoc etiam Apoſtolus apertiſſime oſtendit, qui cum dixiſſet, ut non glorietur omnis caro coram ipſo, ne putarent ſancti ſine gloria ſe remanſiſſe: mox addidit, ex ipſo autem vos eſtis in Jeſu Chriſto, qui factus eſt nobis ſapientia a Deo & juſtitia & ſanctificatio & redemptio, ut quemadmodum ſcriptum eſt: qui gloriatur in Domino glorietur. Hinc eſt quod in hoc loco miſeriarum, ubi tentatio eſt vita humana ſuper terram, virtus in infirmitate perficitur: quæ virtus, niſi ut qui gloriatur in Domino glorietur? Ac per hoc nec de ipſa perſeverantia boni voluit Deus ſanctos ſuos in viribus ſuis, ſed in ipſo gloriari: qui

Digitized by Google

eis non ſolum dat adjutorium quale primo homini dedit, ſine quo non poſſint perſeverare ſi velint: ſed in eis etiam operatur & velle, ut quoniam non perſeverabunt niſi poſſint & velint, perſeverandi eis poſſibilitas & voluntas divinæ gratiæ largitate donetur. Tantum quippe Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo poſſint quia ſic velint, ideo ſic velint, quia Deus operatur ut velint: nam ſi in tanta infirmitate vitæ hujus, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei ſine quo perſeverare non poſſent, manerent ſi vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent: inter tot & tantas tentationes infirmitate ſua voluntas ipſa ſuccumberet, & ideo perſeverare non poſſent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut poſſent. Subventum eſt ergo infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, & inſeparabiliter ageretur, & ideo quamvis infirma non tamen deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur. Ita factum eſt, ut voluntas hominis invalida, & imbecilla in bono adhuc parvo perſeveraret per virtutem Dei, cum & voluntas primi hominis fortis, & ſana in bono ampliore non perſeveraverit, habens virtutem liberi arbitrii, quamvis non defuturo

adju-

Digitized by Google

adjutorio Dei, ſine quo non poſſet perſeverare ſi vellet, non tamen tali, quo in illo Deus operaretur ut vellet. Fortiſſimo quippe dimiſit, atque permiſit facere quod vellet: infirmis ſervavit ut ipſo donante inviciſſime quod bonum eſt vellent, nec hoc deſerere invictiſſime nollent. Dicente ergo Chriſto, Rogavi pro te, ne deficiat fides tua, intelligamus ei dictum, qui ædificatur ſuper petram. Atque ita homo Dei, non ſolum quia miſericordiam conſecutus eſt ut fidelis eſſet, verumetiam quia fides ipſa non deficit, qui gloriatur in Domino glorietur.

CAP. XIII.

Hæc de his loquor qui Prædeſtinati ſunt in Regnum Dei &c.

Digitized by Google

ADNOTATIONES.

POſtquam abſolviſſe credideram ſuſceptam diſſertationem nec non veram D. Auguſtini mentem enucleaſſe, caſu accidit, ut ad D. Juſtinæ Monaſterium profectus, & Bibliothecam, ut mos eſt, inviſens, noviſſimam Monachorum Maurinorum editionem, & præſertim decimum Tomum adeoque illa tria capita percurrere conſilium injerim. Curſim itaque legi, & inveni hujus lectionem editionis aliquatenus variare, ac in eo maxime, ubi ait B. Auguſtinus: *Nunc autem per peccatum perdito bono, merito in his qui liberantur factum eſt donum Gratiæ, quæ merces meriti futura erat*. In hoc enim codice ly *merito* non adverbium, ſed ut ſubſtantivum ponitur ſublato comate. Nihil hinc ſane confici poſſe reor, quo labefactetur vel concutiatur quoquo modo vis argumenti, quæ illi loco in noſtra diſſertatione innititur; quandoquidem ſive perdito bono, ſive perdito bono merito permanet ſemper intemerata concluſio gratiam naturæ lapſæ recuperare, quod integra perdidit. Neque per hoc quod dicitur perdito bono merito, aliud Adam amiſiſſe conſtat quam boni meriti poſſibilitatem non boni meriti conſecutionem, nam ſi habuiſſet, perſeveraſſet.

Atta-

Digitized by Google

Attamen ne aut negligentiæ, aut calliditatis inſimuler, quaſi illi lectioni potius adhæream, quæ commodior, non quæ verior ſit, operæ pretium viſum eſt collatis ceteris editionibus quas habere potui, eiſque paribus inventis nempe Frobeniana Baſileenſi, & Junctarum Veneta præpoſito comate, Lovanienſi vero & Pariſina poſtpoſito, rationem reddere, quibus potiſſimum momentis Baſileenſem & Venetam lectionem præferendam cenſeam: non quo doctiſſimorum Theologorum, & Monachorum diligentiam, labores, ſtudia, criteria, quibus omnibus de re litteraria ac præſertim Eccleſiaſtica optime meriti ſunt, quomodolibet carpam, ſed quia hos nævos hujuſmodi eſſe reor, ut liceat cuique in ſuo ſenſu abundare, & vel accuratiſſimis ſimilia ſæpe menda ſurrepere.

Dico itaque genuinam eam eſſe lectionem, quæ ly *merito* disjungit a *bono*, & interpoſito comate adverbium non ſubſtantivum conſtituit. Et primo quidem, quia rectius proculdubio dicitur, amiſiſſe aliquem quod habuit quam quod non habuit: atqui Adam bonum habuit, meritum non habuit, igitur rectius dicitur amiſiſſe bonum quod habuit, quam meritum, quod non habuit. Licet enim perdito bono perdiderit & meritum, in boni amiſſione perdidit quod habuit, meritum vero non perdidit, quia habuit,

buit, ſed quia habere potuit, nam ſi habuiſſet utique perſeveraſſet.

Præterea qualemcumque meriti notionem in Adam B. Auguſtinus excludit, ut videre eſt in eo quod ait: *Ille in bonis erat, quæ bonitate ſui Conditoris acceperat*. Ad hoc enim ut nemini liceat aliqualem meriti ideam ſibi fingere, qua vel ullum ex illis tot tantiſque bonis, quibus Adam præditus fuerat, meruiſſe exiſtimetur, illico ſubdit: *Neque enim ea bona & ille ſuis meritis comparaverat, in quibus nullum prorſus patiebatur malum*. Ut igitur conſequenter ad hæc, quæ tam circumſpecte præmiſerat, ſuo more loquatur, dicere eum decuit: Nunc autem perdito bono, non perdito bono merito: vel certe addere ut infra, *quod habere potuit*.

Idipſum cerni poteſt, & dum ait: *Sic adjuvabatur ut ſine hoc adjutorio in bono non maneret*. Et dum etiam ait de gratia potentiore ſecundi Adam: *Hæc autem tanto major eſt, ut parum ſit homini per illam reparare perditam libertatem, parum denique non poſſe ſine illa vel apprehendere bonum, vel permanere in bono ſi velit*. Quid eſt enim apprehendere bonum, vel permanere in bono, quod apprehendimus, niſi eo regredi unde cecideramus, illud recuperare quod amiſeramus, & ideo amiſeramus, quia ille in bono non manſit, in bono, inquam, in quo cum merito

per-

Digitized by Google

permanere poterat, & ex quo non merito ſed culpa corruit? Non enim ex bono merito cecidit, ſed ex bono culpabiliter cecidit, cujus meritum fuiſſet, ſi in eo permanere voluiſſet.

Demum quod profecto liquidiſſimum eſt, poſtquam dixerit: *Eſt quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perſeveranter tenendo non ſolum poſſe quod volumus, verum etiam velle quod poſſumus*. Continuo ſubnectit de Adam: *Quod non fuit in homine primo: unum enim horum fuit, alterum non fuit. Namque ut reciperet bonum gratia non indigebat, quia nondum perdiderat*. Ecce quid eſt, quod per peccatum perdidit: non meritum, ſed bonum, in quo cum merito poterat permanere, ſi vellet. Permanſio ſiquidem fuiſſet meritum, ſicut & facta eſt & Angelis ſanctis; non bonum, quod neutri ſuis meritis comparaverant, ſed bonitate ſui Conditoris acceperant, in quo bono permanentibus ſanctis Angelis merito hujuſmodi permanſionis facta eſt merces beatitudinis plenitudo, & non ulterius cadendi certiſſima ſcientia. A quo bono defectio, cujus boni deſertio fuit primi hominis culpa, cujus boni privatio fuit una etiam totius ſtirpis, *quæ in illo adhuc poſita tota cum illo peccaverat, juſtiſſima pœna. Quotquot enim ex hac ſtirpe gratia Dei liberantur, a damnatione utique liberantur, qua jam tenentur obſtricti;*

ac

ac proinde ſtat genuina, & mihi utique germaniſſima lectio: *Nunc autem per peccatum perdito bono, merito in his qui liberantur, factum eſt donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.*

Rurſum diverſimode legunt Maurini Patres a Frobeniana, quam ſecutus ſum. Ubi enim legit Frobeniana. *Hæc eſt prima gratia quæ data eſt primo Adam, ſed hæc potentior eſt in ſecundo.* Maurina legit: *ſed hac potentior eſt in ſecundo.* Quæ lectio non ſolum rectior, ſed plane commodior, & meæ aptius interpretationi congruit, nempe ſi intelligas, quod quidem apertiſſimum eſt: ſed hac prima quam habuit potentior eſt in ſecundo Adam, quæ lætior tunc fuiſſet certe ſi habuiſſet: *Iſtam enim gratiam non habuit primus homo.* Tum etiam Baſileenſis legit: *Prima immortalis erat poſſe non mori:* Pariſienſis contra: *Prima immortalitas.* Sed nullius momenti iſta diverſitas eſt, immo multo dilucidior mihi videtur Maurina lectio, etſi nec alia ſit prorſus obſcura. Sive enim dixeris *immortalis* refertur ad illud, quod immediate præcedit, hoc eſt *prima libertas voluntatis erat poſſe non peccare*: adeoque repetitur prima libertas immortalis erat poſſe non mori: vel etiam immortalitas, quod idem omnino ſonat, & cum ſequentibus congruit, ſenſumque perfectum, quoquo modo legeris, reddit.

F I N I S.

38 866446

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google